

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
L
19
NAPOLI

12.



Inter libros
Josephi Mariæ Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

~~XIV 12.~~
5XI: C·6·

HIERONYMI
SPANZOTTI
TAURINENSIS, IN J.U.D.
JURIS
ECCLESIASTICI

LIBRI DUO

In quibus præcipuæ, quæ ad optimum Ecclesiæ Regimen conducunt, INSTITUTIONES *traduntur.*



VENETIIS,
Typis CAROBOLI, & POMPEATI Soc.
MDCCLXIX.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



Digitized by Google

Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis ut cognoscat generatio altera; Filii qui nascentur & exurgent & narrabunt filiis suis. *Ps. 77. v. 7.*

Digitized by Google

PROLEGOMENA

VEtere consuetudine receptum est, ut aut ii, qui disciplinam aliquam publice docendam suscipiunt, aut ii, qui de ea scribere adgrediuntur, eam aliquo exordii genere extollant, & quidquid habent in dicendo, scribendoque virium conferant, ut in ea cum utilitatis, & emolumenti, tum dignitatis, & amplitudinis longe plurimum inesse confirment; hæc consuetudo etsi minime reprehendenda mihi videtur, illud tamen habet incommodi, quod dum omnes promiscue iisdem afficiuntur laudibus, ejusdem rei gloriam diversarum artium homines ad suam quisque traducere, ac transferre conantur, fit, ut in vulgus elevetur omnium auctoritas, & ut quoties aliquis de quacumque arte quidpiam honorifice aut dicere, aut scribere adgreditur, aut lectores,

aut circumfusa audientium multitudo ita eum aut scribere, aut loqui opinetur, non quod res ita sit, sed quod eam artem ornandam, celebrandamque susceperit, idem de alia dicturus, si alia sibi extollenda, exaggerandaque foret. Ergo ut qui comoedias, aut tragoedias spectat, cum histrionem aliquem in proscenio auro, aut purpura fulgentem viderit, facile intelligit, illa ornamenta ipsius propria non esse, sed futurum, ut aeque illis indueretur quilibet alius e grege, qui ad tempus eam sustineret personam, ita qui ejusmodi orationes audiunt, aut amplitudinis exordium legunt, cum hanc, aut illam artem magnificis, & exquisitis exornatam laudibus vident, aut audiunt, statim judicant, nihilomagis eas huic, quam illi convenire, futurumque, ut eadem de alia qualibet dicerentur, cui Orator, aut Scriptor tamquam Choragus eas quasi partes mandare,

re,

re, atque imponere voluiſſet. Quæ cum mihi a principio in mentem venirent, propemodum in eam ſententiam adduxerunt, ut ab omni laudum genere Juris Pontificii, de quo ſum ſcripturus, deſiſterem. Sed quando non eſt a communi conſuetudine recedendum, hoc ſaltem unum adnotaſſe ſufficiat, diſciplinam noſtram ad optimum Eccleſiæ regimen pertinere; notaſſe ſufficiat, hanc ad virtutem figendam, fugandumque vitium ſpectare; ſpectare ad divinam Fidem firmandam, unionemque Eccleſiæ inducendam; ſpectare ad ſanctificationem fidelium, ad pacem Eccleſiæ, ad unionem hominum cum Deo; notaſſe ſufficiat, id ſibi habere propoſitum, ut doctrina, & diſciplina Eccleſiaſtica ſtabilis, incorrupta, ac intemerata maneat; ſufficiat innuere, in diſterminandis malis moribus, praviſque conſuetudinibus verſari, traducendiſque fidelibus per æter-

næ Beatitudinis viam. Aude enim tollere Jus Ecclesiasticum, dic ubi Christianorum sanctitas, ubi vera eorum societas; ostende Ecclesiæ nostræ faciem, nitorem, elegantiam; demonstra, si tanti es, Christianorum felicitatem, & pacem; monstra, qualis a Christianis justitia servaretur; monstra quomodo & Pontifices, & Episcopi, & Sacerdotes possent sua jura tueri; quomodo pasceretur fidelis Christi grex pabulo vitæ, & disciplinæ, perque justitiæ, & veritatis viam ambularet; ita plane contingeret, uti & eveniret, si jus Civile ab hominibus auferretur. Jus enim hocce tolle, dic ubi libertas inæstimabile illud Naturæ bonum; si potes, ostende rerum dominia; quam petes tuam esse hæreditatem, utut Patris, Matrisque voto delatam? quæ vis obligationis? quæ fides inter homines servaretur? O magnam ergo Ecclesiasticæ prudentiæ gloriam, & dignitatem! quibus eam

præ-

prædicem laudibus? quibus verbis? per se perorata res est.

Tanta porro hujusce disciplinæ amplitudo, ac utilitas ea est, quæ me ad hance excolendam, ac exornandam, mutandumque Civilis prudentiæ perpoliendæ consilium impulit; quamquam & multum in hac re quorumdam amicorum meorum consilium potuerit. Utique amicis, quam difficile negotium esset, opposui, assensumque ab initio negavi. Sed quid facerem? amici obstiterunt, quibus parendum fuit, ne, si in negando pertinax essem, superbiæ potius, quam modestiæ adscriberetur. Ergo huic operi, dico Sacrorum Canonum disciplinæ describendæ manum movebo. Illud autem munus, quod perfecti Scriptoris est, diligentissime exequar; hoc opinor hisce duobus comprehendi, a Scriptore scilicet videndum esse, quid scribat, & quomodo; prius illud eam vim habet, ut curet primum, ut

vera doceat, deinde ut propria ejus artis, in qua versatur, persequaturque conjuncta, & cohærentia cum eo, quod agitur. Modus autem docendi is est, ut perspicue scribat, quod duabus rebus conficitur, ordine, & genere scribendi ad res enodandas, & enucleandas accommodato. Hæc omnia qui præstet, ut in scribendo & vera tradat, & pertinentia ad eam artem, quam docet, & ea ita distinguat, ut suo quidque loco digerat, & collocet, verbisque propriis, & ab eorum, qui pure, & nitide scribunt, consuetudine non abhorrentibus, utatur, ei ego nihil omnino ad summi, perfectique Scriptoris laudem comparandam deesse statuo.

In hisce tamen omnibus varie peccatum a multis esse video, quorum nonnulli tanto apud multos in pretio sunt, ut quasi Atlantis humeris cælum, ita eorum auctoritate hujus artis dignitas sustineri pute-

putetur. Nam & multa ſæpe pro veris falſa tradiderunt, iiſque libros ſuos retulerunt, & quum latine ſcribere neſcirent, monſtruoſum quoddam ſibi confixerunt ſcribendi genus, ut ſi veteres S. Eccleſiæ Patres, S. Patres Conciliorum, Summique Pontifices decretorum, legumque Eccleſiaſticarum compoſitores reviviſcerent, multis eis opus interpretibus eſſet ad eos, qui leges ſuas, & canones interpretati ſunt, intelligendos. At cur falſa quidem pro veris tradiderint, non negaverim, multas fuiſſe cauſas; haſce tamen præcipuas fuiſſe arbitror, ignorantiam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſeu antiquitatis, temporumque calamitatem; extincto enim latinarum, græcarumque literarum lumine, quum omnia denſiſſimis ignorantiæ tenebris ſepulta, & obruta tenerentur, fieri nullo modo potuit, quin Scriptores tamquam in illuni no-
ncte

cte fine lumine errantes ſæpe laberentur, ſæpe traderent falſa pro veris. Ad hoc incommodum cum aliud acceſſiſſet ex prava quadam ambitione, quæ multorum ex illis animos occupavit, ut indecorum putarent cuiquam aſſentiri, ac tum demum ſibi pulchri, beatique viderentur, ſi aliorum opiniones labefactari, ac ſubvertere, ipſi autem aliquid, quod ante ſe nemo dixiſſet, adferre potuiſſent, eo tandem rem perduxerunt, ut, quum receptum ſit in judicandis rebus communem Interpretum ſententiam ſequi, ſæpe numero in tanta diſcrepantia, ac varietate dubitetur.

Nunc quid dicam de ordine, quem ſemper ſapientiſſimus quiſque plurimi fecit, cuique tantum tribuerunt quidam ex veteribus Philoſophis, ut ſummum, ac ſupremum hujuſce Univerſitatis Parentem, atque Opificem Deum dice-

dicerent in orbe condendo nihil aliud præstitisse, quam confusas, permixtasque inter se rudis materiæ partes discernere, certoque ordine suis quamque sedibus collocare? Impia opinio, fateor; omnia enim non tam digessit, ac dispoluit, sed ex nihilo effecit, ac procreavit Deus; sed tamen ex eo intelligi potest, quæ illorum de ordine opinio fuerit, quantamque vim in eo inesse crediderint, quum, a quo nihil amplius quam confusas mundi partes in ordinem adductas esse dicebant, eum tamen ipsi quoque cum cæteris verissimo nomine Parentem, ac conditorem omnium rerum vocarent. Extat pulchra sententia apud Xenophontem in *OEconomico*, nihil esse aut pulchrius, aut ad usum commodius, quam ordinem; nihil contra aut aspectu fœdius, aut deformius, aut quod plura omnibus rebus incommoda adferat, quam

confusionem, ac perturbationem. At illi nostri cum Dialecticen aut non didicissent, aut ita didicissent, ut non didicisse viderentur, quibus quæso modis omnia miscuerunt? qualem hujus generis præceptorum nobis farraginem reliquerunt? Mihi quidem quum in eos suspicio, sæpissime Ovidiana illa de Chao in mentem veniunt:

Quaque erat & Tellus, illic & Pontus, & Aer.

Non aliter enim apud hos: ubi, verbi gratia, de auctoritate Episcoporum agitur, dicetur etiam aliquid de Decimis; ubi de Matrimonio disseritur, aliquid aut de Beneficiis aut de Conciliis, aut de irregularitate inseritur; ubi de Chorepiscopis dicitur, dicitur quidquam de Erectione & Consectatione Ecclesiarum, de criminibus Ecclesiasticis, de Ecclesiastica jurisdictione, de Excommunicationibus, & Interdictis; nihil est denique, quod

quod certam ſedem, ac domicilium habeat. Inde illæ crebræ ex uno in alterum locum rejectiones, quæ te, quod hic agendum, ac tractandum erat, id jubent ex alio petere, in quo tale quidpiam agi numquam niſi admonitus divinare potuiſſes; prorſus ut ſi quis Paterfamilias veſtem non in veſtiario, ſed in arca panaria conderet, panem ex puteo hauriret, piſces in nemore, lepores in piſcina incluſos haberet.

Ultimus locus erat de genere ſcribendi, quo dixi eos, qui ſcribunt, uti debere nitido, perſpicuo, uſitato, tali denique, ut ſine ulla aſperitate influat in oculos, animoſque legentium, eiſque ſe nec adſcita, nec fucis, pigmentiſque quæſita, ſed naturali pulchritudine, ac ſuavitate commendet, a quo plurimi quam longe abſuerint, quis non videt? Et ſunt tamen, qui eos defendant,

di-

dicantque, eloquentiam in eo, qui Jus doceat, non requiri; satis esse, si artem suam teneat, quibusque verbis, dum artem tradit, utatur, ac pronunciet, nil interesse. Citant in hanc rem verba quædam Ciceronis, quibus ait, *se in Philosopho eloquentiam, si adferat, non aspernari, si careat, eum non admonendum, ut illam requirat*. Delicatos autem eos esse dicunt, qui in tanta præclarissimarum rerum copia etiam verborum concinnitatem requirunt; & perinde facere, ac si optimos, & saluberrimos cibos fastidirent, nisi in auro, aut gemmis apponerentur; tum præterea facilius intelligi, ac percipi, quæ qualibuscumque verbis sine delectu afferuntur, quam si quis in iisdem pura, ac latina oratione exprimendis elaboraret. Postremo usu hoc jam, & experientia compertum esse, quibus verborum cura est,

eſt, eos exſuccos fere, & aridos, & exangues, & Grammaticos potius, aut Ludimagiſtros, quam veros, ſolidoſque Juriſconſultos fore. Quibus ut reſpondeam, primum dico; me non exiſtimare, eloquentiam aut ad Jus, aut ad ullam omnino artem tractandam neceſſario, & abſolute requiri; imo ne ad illam quidem ipſam, qua fieri eloquentes putantur, neceſſaria eſſe puto. Multos enim accepimus, cum ipſi eloquentes non eſſent, optimos tamen aliis ad Eloquentiam duces, ac magiſtros fuiſſe, qualem in Græcia Hermogenem, Romæ autem Quintilianum fuiſſe ajunt. Munditiem quidem ſermonis non artibus modo docendis, ſed etiam in congreſſibus, & in familiari ſermone ab omnibus ingenuis hominibus requirendam puto; non gemmas, non aurum requiro; fictilibus æquo animo cœnare poſſum, præſer-

ſertim ſi epulæ ſint exquiſitæ, ſed illa ipſa fictilia terſa ſint, niteant, appetentiam, non vomitum concitent. An tu convivatorem feres, qui quamlibet lautos cibos in vaſis luto conſpurcatis apponat? Quod autem ajunt, facilius intelligi, quæ ſine verborum delectu dicuntur, credo equidem inter ipſos verum eſſe; Balbi enim Balbos, uti eſt in proverbio, melius intelligunt. At ingenui adoleſcentes in Ciceronis, Cæſaris, Plauti, Terentii, & ſimilium libris exercitati & Latinæ Linguæ intelligentes novos ſibi de verborum ſignificatione commentarios conquirant oportet, cum acceſſuri ſunt ad illas barbaras quorumdam Interpretum cantiones. Ego quidem certe multos novi optimo, & acutiſſimo ingenio adoleſcentes, qui cum ad artem ſe Juris tum Civilis, tum Pontificii accingerent, talium Interpretum in-

inconditis scriptis perterrefacti refugerunt, retuleruntque pedem,

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit.


Quod autem quasi firmamentum defensionis suæ ponunt, non posse quempiam magnum Jurisconsultum evadere, cui faciendæ, ac perpoliendæ orationis cura sit, proh Deum immortalem! etiamne hoc tam erudito sæculo, in hac tanta luce, ac splendore disciplinarum omnium cuiquam se id persuasuros putant? Sed hæc mittamus; ad id, quod nobis ipsi proposuimus, redeamus. Dixi quatuor esse, quæ qui de Jure scribunt præstare debeant: ut vera doceant, ut ad rem pertinentia, ut genere scribendi apto ad docendum, ut ordine utantur.

Id qui non præstarent culpavi. Dicet fortasse aliquis, quid tu te igitur præstaturum esse profiteris? Non ausim tantum de me, aut mihi polliceri. Illud quidem non indubitanter affirmo, me ea, quæ ad id efficiendum necessaria sunt, & ut aliquid olim præstitisse dicar, summam diligentiam adhibiturum, habiturumque certum & quasi naturalem ordinem. Quid? quum Jus Pontificium ad optimum Ecclesiæ regimen conducat, optimum autem regimen in optima doctrina & disciplina consistat, rem universam in duos dividam libros: primus de Doctrina Ecclesiæ inscribetur; alter de Disciplina erit Ecclesiastica; hunc autem in diversas tribuam dissertationes, nimirum quum disciplina Ecclesiastica ad cultum Deo præstandum ob id, quod nos vias veritatis edocuit, tradiditque ea, quæ muneris nostri sunt, ad Mini-

niſtros, qui hunce divinum cultum promovent, denique ad bona Miniſtris concedenda, agam in primis de Cultu, deinde de Miniſtris, denique de bonis Miniſtris concedendis; & quando Diſciplina ut optima ſit, certis muniatur legibus oportet, de Legibus Eccleſiaſticis diſſertatio alia alium locum tenebit. Modi deinde Eccleſiaſticam diſciplinam, ſi forte collabatur, reſtituendi, diſſertationem alteram conficient: de Conciliis loquor Nationalibus, Provincialibus & Diœceſanis, de Viſitatione etiam Eccleſiarum, aliiſque. Et quando ut hæc omnia fieri poſſint, promulgari ſcilicet leges, firmarive Eccleſiaſtica diſciplina, & convocari Concilia una cum aliis, certam in Eccleſia juriſdictionem agnoſcamus neceſſum eſt, quæ de hacce dici Juriſdictione poſſunt, ultimo loco videbimus, ultimamque diſſerta-



tionem conficient .. Ordo, uti vides; naturalis, & simpliciſſimus eſt, cui nihil addendum, nil detrahendum exiſtimarem.





IN-

INDEX

Rerum, quæ in hocce Opere continentur.

De Doctrina Ecclesiæ

LIBER PRIMUS.

De Disciplina Ecclesiastica

LIBER SECUNDUS.

De

De

Digitized by Google

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Filippo Lanzi* Inquisitor General del Sant' Officio di *Venezia*, nel Libro intitolato *Juris Ecclesiastici libri duo in quibus precipua, quibus Dei Ecclesia regenda est, Institutiones traduntur &c. MS.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Carobole*, e *Pompeati*, Stampatori *di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 28. Novembre 1768.

(Angelo Contarini Proc. Rif.
(Alvise Vallaresso Rif.
(Francesco Morosini 2. Cav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 305. al Num. 2608.

Davidde Marchesini Segr.

DE

DE DOCTRINA ECCLESIÆ

LIBER PRIMUS.

DISSERTATIO UNICA.

HAbet omnis societas suas leges, sua habet instituta, quibus qui eam componunt pareant necessum est: sed qui fieri, ut pareant, potest, si eas ignorent, nemoque sit, qui eas doceat? Societatis ergo interest optimos habere viros, qui leges doceant, earumque sensum populo aperiant. Ecclesia porro, quæ adinstar alterius cujuscumque societatis est, & suis quoque legibus, institutisque vivit a Christo Domino datis; interest ergo, ut ea fideli populo explicentur, interest optimos viros, qui earum sensum aperiant, præficere; & quando quæcumque alia societas jus habet violatores legum coercendi, & illud Ecclesiæ Christiana societas quid ni habebit? habet & alia quævis societas jus errores contra legum scripta condemnandi; hoc ne Ecclesiæ uni denegabitur? en ergo hujusce dissertatio-

 tatio-

lationis partitio; dicam in primis quæ sit Doctrina Fidei, quanta sit ejus populo explicandæ necessitas; agam deinde de errorum contra fidem condemnatione, quæ optime fieri in Conciliis generalibus potest: dataque occasione de Conciliis generalibus; denique de punitione transgressorum Doctrinæ Fidei, arreptaque occasione de Censuris Ecclesiasticis, quibus unis transgressores puniuntur, dicam.

Quid sit Doctrina Fidei, seu quid sit Fides, quaque ad hoc ut quid de Fide dicatur, necessaria sint, traditur, ac commonstratur hujus populum edocendæ necessitas.

CAPUT PRIMUM.

Duplici parte hominem constare, corpore scilicet, & anima certissimum est; sed animæ, & corporis non eadem ratio est. Solidum enim, & comprehensibile corpus est, & oculis videtur, & manibus tangitur; anima vero tenuis est, & tactum, visumque fugit; corpus ex terra fixum, & solidatum est; anima vero in se nihil concreti, nihilque terreni ponderis habet; tantam autem solertiam, tantam vim, tantamque celeritatem, nisi a

Cœlo traheret originem, non haberet. Ex hoc autem fit, ut corpus, quoniam ex ponderoso elemento constat, quoniam & tangibile est, & visibile, corruptioni subjaceat, & pereat; anima autem quia tenuitate sua omnem visum, tactumque fugit, nullo ictu dissolvi quoquomodo possit. Quamvis igitur inter se corpus scilicet & anima, & sociata nascantur, & alterum, quod de terreno luto efformatum est, alterius, quod a Cœlesti subtilitate manat, quasi vasculum sit, quia tamen utrumque vis certa discrevit, quæ discretio mors vocatur, fit, ut utrumque in suam naturam redeat, sic ut, quod ex terra fuit, id in terram resolvatur, quod autem ex cœlesti subtilitate, & spiritu constat, continuo vigeat, sempiternumque sit. Eodem porro modo, quo animus a corpore distat, distant etiam inter se se & animi, & corporis bona, contrariaque sunt, & pugnant invicem; sic ut animi bona sint mala corporis, & corporis bona mala animi sint. Igitur, quemadmodum corpus, quia terrenum est, corruptioni subjacet, ita quia terrena sunt corporis bona corrumpentur, redigenturque in nihilum, eorumque sectatores bestiis, brutisque similes facient; animus autem sicut sempiternus est, indefectibilisque vocatur, ita & sem-

piterna erunt animi bona, eorumque sectatorem ad immortalitatis vitam traducet. Quum itaque animi, ejusque bonorum qualitas longe excellentior, longe autem vilior & qualitas corporis, & eorum bonorum sit, corporis bona spernenda sunt, plurimique facienda animi bona, quæ ad justitiam, quæ ad pietatem tendunt; qualis autem hæc vera justitia, hæc vera pietas sit, Christus a Patre missus ad homines a potestate, servituteque dæmonis redimendos, commonstravit, ejusque præcipuam partem esse Fidem, de qua nunc sumus disputaturi, decrevit.

Ut a fidei definitione ducam exordium, eam nil aliud esse definio nisi *assensum intellectûs, qui rei relata ob referentis auctoritatem præstatur*. Duo itaque ex hac definitione colliguntur: primum est credentis assensus, qui eum, qui quidpiam narrat, verum narrare arbitratur; alterum est ipsius assensus obscuritas. Fateor, fides quamdam Cognitionem involvit: Cognitio tamen hæcce non est cognitio rei ex se ipsa, sed cognitio, quæ in solo quidpiam narrantis Testimonio consistit; quamvis autem qui quidpiam, quod a referente profertur, credit, possit ille invictis, validissimisque rationum momentis referentis auctoritatem certam esse, minime-

nimeque fallacem, commonstrare, hoc tamen cognitionis rei ipsius, quam credit, evidentiam numquam inducit: res enim semper perobscura, ignotaque manet, sed certa est.

Hæcce certitudo quid sit; seu in quo nam consistat hominem esse de re aliqua certum, deliberandum est; Philosophi, Theologique recentiores triplici vocabulo certitudinem denominare solent; eam enim aut Metaphysicam; aut Physicam, aut Moralem dicunt. Sed quando ad horumce terminorum significationem explicandam deveniunt, tantum abest, ut rem apertam, claramque faciant, ut incerta penitus omnia reddant. Missa propterea horumce verborum ambiguitate, tunc alicujus rei certitudinem haberi dicam, cum mens, intellectusque noster cuidam rei adeo firmiter, adeoque constanter adhæret, ut nullus dubitandi, ambigendique campus pateat. Hanc autem certitudinem eorum præsertim, quæ ad communem animarum salutem, vitamque nostram tutissime dirigendam tendunt, Divina Sapientia elargitur.

Duobus porro modis ad hanc certitudinem pervenire bellissime possumus. Primo ex immediato ipsiusmet Divinæ Sapientiæ auditu; Secundo, alterius Testimonio, argumentisque,

quibus Divinæ Sapientiæ auctoritas ad nos pervenit, & derivatur. Dignum autem testimonium an ille reputetur, qui privato ratiocinio Sapientiæ Divinæ auctoritatem ad se pervenire fatetur, si quæratur, illud flocci faciendum esse respondeo. Quum enim tanta sit naturalis ingenii tenuitas, & imbecillitas, ut quandoque non solum veritates abstrusiores, difficilioresque adinveniat, verum ne eas quidem, quæ apertæ sunt, minimique momenti ducuntur, attingat, quid ni id verum esse ducemus? Idem de ea inepta quæstione, utrum scilicet Fides divina ex S. Spiritus cuilibet homini communicato instinctu definienda, resolvendaque sit, existimo. Etenim quomodo nonnulli sibi possint persuadere, privato Spiritus Sancti instinctu sibi singillatim quidquid ad Religionis cultum, ad pietatem, ad animarum salutem consequendam pertinet, revelari, ita ut neque Ecclesiasticæ disciplinæ norma, neque fidei regula, neque alio exteriori egeant auxilio, prorsus ignoro. Isti nimirum vesani homines S. Spiritus operantis Mysteria, & Arcana, multo minus abstrusiores eorumdem nodos, & anfractus nesciunt; nesciunt, quid sit Spiritus Sancti instinctus, quæ sint media, quibus agit, quique sint operis ejus effectus;

C 2 hinc-

hincque, dum se eodem spiritu imbutos jactitant, ac gloriantur, innumeras, quas nesciunt, evomunt blasphemias. Quid quod? Istum divini spiritus instinctum aut Christianis omnibus seorsim nempe sumptis communicari dicendum est, vel paucis tantum, selectisque hominibus; si omnibus, jam privilegium amplius non est, jamque non est specialis, ut hujusce furfuris homines prætendunt, gratia; si secundum, quid erit de iis, qui hocce privilegio non fruuntur? quomodo nosse revelatas poterunt veritates, hasce quomodo intelligent? isti profecto Divinæ Fidei regulam, quum medio careant, quo dignoscant revelata, minime haberent; hujusce autem Divini Spiritus instinctus ad commune Christianorum bonum amplius non conflueret. Qualis autem, si privatus iste Divini Spiritus instinctus extaret, divinarum rerum esset confusio, & perturbatio? jam enim quisque huic sectæ addictus id, quod animo finxerit suo, operatum Spiritus Divini instinctu fuisse affectaret, idque divinam efformare fidem diceret. Sed quid tam solliciti sumus tantam opinionis absurditatem refellere, quum hanc enervet Evangelista 1. Johan. 3. 2. *nolite* (inquit) *credere omni spiritui*; quum eam enervet Propheta Je-

 re-

remiæ 23. *nolite* (sunt ejus verba) *audire verba prophetarum, qui visionem cordis sui loquuntur*; *væ Prophetis* (inquit Ezech. 13) *insipientibus, qui sequuntur spiritum suum; & nihil vident*.

Hæc quum ita sint, unde dignum revelationis testimonium trahemus? rem paucis quidem, sed dilucide aperiam. Notandum porrò est, Christianam, Catholicamque Ecclesiam neminem umquam alium veritatum fidei auctorem nisi ipsum Christum, qui vel ore proprio, vel ore Apostolorum loquutus est, agnovisse. Notandum, in Ecclesia ab ipso Christo ministros, pastoresque fuisse institutos, quo usque ad consummationem sæculi alteri alteris succedentes veritates revelatas, Christianam Fidem, & novæ Legis Evangelium disseminarent. Postquam enim Christus efficacissimis sanctissimisque modis Evangelium panxit, proprioque sanguine suo illum tamquam Testamenti codicem signavit, cœlestes nuncii ad Fidem Catholicam, ad Evangelicam Doctrinam disseminandam, cordibusque inserendam in varias mundi plagas ab invicem longe remotas ab eo missi sunt. Notandum denique est, Ecclesiæ a Christo institutæ unionem quamdam maxime in Doctrina fidei, quo scilicet incolu-

mis,

mis, ac incorrupta perseveraret, insitam fuisse; hujus autem unionis servandæ caussa unicum medium traditionem universalem esse, quà scilicet quidpiam de fide esse tradatur, quis nesciat? Hæc porro traditio est illud dignum, quod necessarium esse dixi, testimonium: rem explicemus. Ait Apostolus 1. Corinth. 2. *ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*, & 2. Thessal. *tenet traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*; & 2. ad Tim. 1. *formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti*; & ibidem Cap. 2. *quæ audisti a me per multos testes hæc commenda fidelibus*. Quid aliud sibi phrases istæ volunt, quam traditionem (scilicet universalem) aptissimum esse ad revelata dignoscenda medium? id autem quovis certè sæculo Ecclesiæ Doctores, & Patres tradiderunt, sufficiatque huc S. Cyrilli verba in Epist. ad Nestorium, quæ in Ephesini Concilii actis habetur, referre: *non autem sufficit tuæ Religioni tantummodo symbolum confiteri, sed consequens est etiam jurejurando fateri, quod anathematizes tua polluta & profana dogmata; sentias, & doceas, quæ nos universi sive per Orientem, sive per Occidentem Episcopi, & Magistri præsulesque populorum credimus, & docemus*; quid clarius? quid apertius?

Hoc

Hoc porro universalis traditionis remedium infallibile in præsens habetur, habitumque quoque sæculo fuit: & revera qui fieri potest, ut Catholici universim in plurimis nationibus longe dissitis dispersi omnes simul decipi in iis potuerint, quæ toties audiverunt, & in quibus nutriti, educatique fuere? qui fieri potest, ut ex altera parte pastores Catholici universim dispersi potuerint Christianam, divinamque doctrinam Christiano populo tamquam revelatam tradere, & communicare, si ipsi sub eodem titulo non recepissent? præcipue quum Christus ipse Ecclesiam suam in vera fide numquam defecturam tradiderit 1. Tim. 3. *Columnam* siquidem, & *firmamentum veritatis* (dicit) *Ecclesiam*; & adversus eam Matth. 16. *nec portas inferni prævalituras*; & Matth. 28. sic promiserit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; apud Johan. autem 14. ait: *alium Paraclitum dabo vobis, ut maneat vobiscum, spiritum veritatis, qui apud vos manebit*; *Paraclitus Spiritus S. qui vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*; *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*.

Cæterum, ut hæc universalis traditio infallibilis sit, tria concurrant necessum est: primum antiquitas, nempe ab ipsis Apostolis in

varias

arias mundi plagas dispersis eamdem omnino doctrinam traditam, suorumque discipulorum ordibus quotidiana exercitatione insculptam uisse, doctrinam, inquam, ad Religionem, vitamque æternam adcommodatam, cujusque continuatio tamquam humano generi connaturalis de parentibus in filios, de progenie in progeniem transeat, & communicetur; alterum est universalitas; tertium denique consensus est; tresque isti characteres adeo necessarii sunt, ut, si alteruter desit, multum ad inducendam traditionis infallibilitatem desideretur. Hæc de Fide, quæ ex revelatione, & universali traditione pendet, dicta sufficiant. Infinita porro adhuc ad hanc fidem quod spectat dicenda occurrerent, sed quum ea potius Theologi sint, quam Pontificii Juris Interpretis, ne in alienam messem falcem immittere videar, omittenda judico. Hæc interim, quæ de fide dixi, ob id unum, ne ordini mihi in scribendo proposito quidpiam deesset, scribenda existimavi. Quid aliud ergo nunc commemorandum restat, quam admonere Episcopos, Pastoresque Christianos, ut Divinam Doctrinam, seu Doctrinam fidei Filiis suis, populoque Christiano erudiendo sibi commisso tradant, atque communicent, me-

mores eorum Sacræ Scripturæ verborum, *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Matth. 7. Act. 20. *quasi rationem pro animabus suis reddituros; quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas*, Heb. 13. memores verborum: *Vos estis sal terræ, lux mundi, civitas supra montem posita, lucerna supra candelabrum*. Ita enim agentes promissam sibi ob pastorales curas beatæ immortalitatis mercedem poterunt sibi jure optimo expectare.

De errorum, qui emergunt contra Ecclesiæ doctrinam, condemnatione, quæ in Conciliis generalibus fieri potest, dataque occasione de Conciliis generalibus.

CAPUT SECUNDUM.

Quemadmodum Ecclesiæ, ut Ecclesiæ ipsius doctrinæ præcepta serventur, ac custodiantur interest, ita & interest, ut errores, qui contra eam disseminari, propagarique possunt, tollantur, ac enerventur; non secus ac

ac civilis interest Reipublicæ, ut pravæ consuetudines, ut corruptelæ, ut abusus, qui contra Principum statuta, civilesque leges erumpunt, comprimantur, gravissimisque pœnis earum violatores coerceantur. Quid enim leges, ac instituta prodessent, si nullus pateret campus, & abusus, malosque mores tollendi, coercendique legum violatores? quid leges prodessent, si pœnis, quibus territi cives à legum violatione se abstineant, non munirentur? Hosce Ecclesiæ errores tollere eorum meherçle est, quorum est Ecclesiæ Doctrinam edocere, ac propagare; de Ecclesiasticis loquor, qui primam in Ecclesia frontem tenent, Episcopos dico a Christo ad Ecclesiam Dei regendam destinatos; resque erit utilissima eos in unum convenire, sic enim dignosci contra Ecclesiam error facilius potest. Ecquid enim? Rationum momenta, quæ in universali Congressu proferuntur tam gravia, tam aperta, plausibiliaque sunt, ut iis resistere sit quasi impossibile; si quis ibi quidpiam pronunciat, rationum lumine, quæ ab aliis proferuntur, pronunciat; ibi scientia, ibi penetratio, ibi experientia cujusque omnibus fit communis; ibi tanta cognitionis plenitudo efformatur, ut ad firmanda, ac corroboranda judicia, ted-

den-

dendaque tuta, aptissima videatur. Oppositiones, difficultatesque, ac dubia, quæ enasci, generarique maxima possunt, quispiam extra Congressum aut non prævideret, aut si prævideret, ea enervare difficillimum esset, at in Congressu occurrit perfectissima difficultatum, oppositionumque cognitio, occurrit quæ ex pluribus Sententiis potior sit, & vincat; occurrit, cui opinioni standum, adhærendumque sit. Hoc servarunt primitivi Ecclesiæ pastores, primitivi Episcopi, dederuntque exemplum Apostoli. Jam enim isti (Apostolos dico) si qua gravis momenti aut circa Doctrinam aut circa disciplinam Ecclesiasticam negotia emergebant, in unum conveniebant, efformabantque Congressum, Conciliumve, teste Baronio ad *annum* 34. *num.* 256, & Hincmaro Rhemensi in Opusculo 55. *Capitul. Cap.* 44. Primum celebratum fuit tunc quum Apostoli convenerunt in domum Mariæ Matris Johannis, quo duodecimus loco Judæ proditoris Apostolus eligeretur. Hujusce Concilii Historiam narrat Div. Lucas in Actibus a se evulgatis *Cap.* 1. *vers.* 26. Cabassutius in *notitia Conciliorum in princip.*

Alterum Concilium eodem anno habitum celebratumque fuit ante Martyrium S. Stephani.

ni.

ni. Dedit huic occasionem quarumdam viduarum murmur, non æquam in distributione eleemosynæ portionem fieri conquerentium.

Succedit tertium Concilium; hoc Apostoli Hierosolymis anno Christi 51. celebrarunt; dedere huic occasionem Judæi fideles prædicantes, Gentiles ad Christi fidem venientes æternam salutem consequi minime posse, nisi circumcisionis ritus, juxta Legem Mosaicam, servaretur. Sed & aliud celebratum fuit referente Baronio anno 58. circa Festum Pentecosten. Præter hæc quatuor Concilia, quæ generalium figuram præseferunt, duo alii Apostolorum Conventus in eorum actis recensentur: primus habitus fuit anno 44. ibi Symbolum, quod vocatur Apostolorum, factum, compositumque fuit; alter vero anno 53. Antiochiæ, scilicet ad quasdam eum temporis enatas controversias sedandas, ac componendas.

Hocce Apostolorum, Ecclesiæque primitivæ pastorum exemplum sequi, ac imitari res est tum optima, tum eidem Ecclesiæ utilissima, dico generalium Conciliorum, ubi res id efflagitet, convocatio: sed hic sistamus; quidque dici de generalibus Conciliis possit, occasione data, paucis videamus. Mitto definitionem, quæque conditiones, ut generale dici

Con-

Concilium possit, necessariæ sint, investigare, crutarique incipio. Tres porro, ita opinor, nec erro, necessariæ conditiones sunt; prima est, ut convocatio Episcoporum, nemine excepto, præterquam si sit excommunicatus, generalis sit; res per se ipsa patet, manifestaque est. Si enim Concilium provinciale non nisi illud, ad quod vocantur omnes, qui sunt de quadam provincia, consideramus; si consideramus non nationale nisi illud, ad quod vocantur ii, qui sunt de certa natione; quare non vocabimus generale non nisi illud, ad quod vocantur, qui sunt de Universo Orbe Christiano Episcopi? Si huc vellem omnium Theologorum, Jurisconsultorumque sententiam, opinionemque referre, res esset non finiendi laboris. Unus ergo pissimus Gersonius sufficiat; sic enim iste scribit: *prima est, ut convocatio sit generalis, ita ut innotescat omnibus majoribus Christianis provinciis; secunda, ut ex Episcopis nullus excludatur, undecumque veniat, modo constet eum esse Episcopum, & non excommunicatum*. Talis autem non sum, ut cum Jurieu *in præf. hist. super Concilia* præter generalem vocationem, ad hoc ut Concilium appellari generale merito possit, necessarium esse existimem, ut omnes omnino Episcopi interveniant,

niant, ut interveniant omnes Doctores ut, interveniant ii omnes, qui Religionis mysteria meditantur, sic ut, quoniam nullum adhuc tale extitit, Concilium nullum generalis nomen meruerit. Si enim non audemus, uti nec ausus fuit Jurieu, provinciale non appellare Concilium, cui non omnes de provincia Episcopi interveniunt, non appellare nationale, cui non omnes qui de certa sunt Natione, appellabimus ne non generale illud, cui non omnes de universo orbe antistites interveniunt? Altera conditio ut Concilium generale fore liquescat, hæc est, ut libere illud celebretur; Theologi omnes, & Canonistæ hanc libertatem velut necessariam, essentialemque Generalium Conciliorum conditionem existimant, sic ut, si hæcce desideretur libertas, Concilium generalis nomen non mereat. Egregie; etenim in primis generale Concilium Universam Ecclesiam repræsentat; ut repræsentare Ecclesiam dicatur, suo alloqui nomine debet, suas opiniones, intimosque animi sensus aperire, suasque leges stabilire; jamque id fieri, si libertas desideretur, non potest. Deinde Concilium congressus judicum est; judices autem, quo ex conscientia, & veritate agitatas quæstiones definiant, liberi esse debent.

Adde, novas ad terminandas quæstiones revelationes non certe obventuras; adeoque, ut, quæ movetur quæstio, recte definiatur, ac terminetur, diligentissimum necessarium examen, scrutiniumque fore videtur; quod ut recte fiat, Sacræ paginæ, Sanctique Patres sunt evolvendi; at libertatis defectus hocce diligens, necessariumque examen impedire certissime posset. Hinc porro est, ut a compluribus secundum Ephesinum Concilium minime generale credatur: isti enim utique liberrimum illud in sua convocatione fuisse, sed non fuisse liberum in regulis condendis, recipiendisque considerant.

Tertia conditio, ut Doctrina, quæ in Concilio stabilitur, & Concilium velut generale ab universa Ecclesia acceptetur, exposcit; nimirum, quum possit fieri, ut dubitetur, an Concilium universam Ecclesiam repræsentet, sive respectu multitudinis eorum, qui illud componunt, sive respectu modi, quo ibi quæstiones terminantur; acceptatio decretorum Concilii, quæ ab Ecclesia fit, ad ea dubia tollenda, ac dissipanda bellissime inservit. Hinc dubitare prima fronte possem, an Concilium primum Constantinopolitanum generale sit, nec ne: ibi enim interfuerunt non nisi

Orien-

Orientis Epiſcopi ; ſed quando doctrinæ fidei ; quæ ibi ſtabilita eſt , & Univerſi Occidentis Epiſcopi adhæſerunt ; eaque ab illis ulla ſine hæſitatione recepta , probataque fuit , omneſque illud inter Generalium Conciliorum numerum connumerandum cenſuerunt , hoc me ad credendum ; nihil inde deſiderari , quod non commonſtret , illud univerſam Eccleſiam repræſentare , compellit . Hanc tunc acceptationem noſcemus , quum Doctrina in Concilio definita velut dogma ad ſalutem æternam comparandam neceſſarium ab univerſa Eccleſia prædicabitur , aut in communem diſciplinæ praxim , quod ibi præcipitur , ac definitur, abibit . Quamquám quid ; ſi adverſus Concilii definitiones reclametur ? multum referre opinor, utrum reclamatio contra Doctrinam Concilii ab iis , qui ſe ab Eccleſia ſeparant , fiat , an ab iis ; quibus nulla erroris imputari macula poteſt , quique non niſi antiquiſſimæ exempli gratia Eccleſiæ Doctrinæ cauſſa reclamant . Si a primis reclamatio fiat , tamquam facta contra communem Eccleſiæ Doctrinam flocci , nihilique facienda , repudiandaque mihi videtur ; exemplum ab Eutichianis , qui ſæculo Eccleſiæ V. contra Calcedonenſe Concilium clamarunt , evidentiſſimum ſumo . Statutum ab

hocce Concilio fuerat, in Christo duas esse naturas, humanam unam, Divinam alteram esse; hujusce doctrinæ vox communis fuit, communisque Ecclesiæ fuit prædicatio; adversus hanc definitionem Eutichiani clamarunt; sed quid operari hæc reclamatio potuit, quum ea facta a personis fuerit, quæ publicæ Ecclesiæ voci resistebant, quæque gravissima erroris macula notabantur? ast si ab aliis clamatio fiat, ab iis scilicet, quibus nulla imputari erroris macula potest, quique non nisi antiquæ Doctrinæ, disciplinæque gratia reclamant, suo hæc reclamatio pondere non omnino carebit, nec contra Ecclesiam sed sui gratia, suoque nomine facta credetur.

Generalia isthæc Concilia vereve Œcumenica quacumque ætate remedia visa Ecclesiæ cæteris & tutiora, & simpliciora fuere ad terminandas scilicet, finiendasque, quæ circa Fidei dogmata enasci, surgereque potuerunt, controversias; imo & necessaria visa quandoque fuerunt: quam ad necessitatem probandam huc possem ea omnia, quæ generalibus Conciliis convocandis occasionem dederunt, si id per otium liceret, referre. Jam hanc necessitatem gravissimis scilicet in negotiis rebus factisque ipsis agnoverunt Apostoli, agnoverunt

runt Ecclesiæ antistites. Meldensis Episcopi Bossuetii phrasis elegantissima est: *quorsum attinebit* (ait) *ab ultimis orbis partibus cieri Episcopos tantis laboribus, tantisque sumptibus, & Ecclesias pastoribus viduari; si id necessarium non fuisset?* Agnoverunt S. Ecclesiæ Patres; scio quidem, Augustinum hæresim Pelagianam sufficienter a Conciliis particularibus condemnatam fuisse, quin ad Œcumenicum devenire Concilium necessum esset, scripsisse; sed tantum abest, ut Sanctus Doctor hanc sententiam ad omnes errores, qui in Ecclesia possent enasci, pertrahat, ut expresse alibi generale Concilium, quoties Ecclesiæ doctrina obscura admodum est, necessarium esse fateatur.

Jam hanc necessitatem agnoverunt etiam Summi Pontifices, agnoverunt, uno verbo, vel plurimis Ecclesiæ sæculis omnes. Quod si tribus primis celebrata numquam fuerunt, id ex eo uno profluit, quod & fideles Christiani summam persequutionem paterentur, & Christiana Religio invisa Imperatoribus esset. Vix autem Cæsares Augusti suum Christianæ militiæ nomen dederunt, ut hæc Conciliorum remedia velut cæteris efficaciora in terminandis magni momenti controversiis visa maxime fuerint tum in Oriente, tum in Occidente

 oppor-

opportuno. Sic in Oriente celebratum fuit Concilium Nicænum primum anno 325. Constantinopolitanum primum anno 381. Ephesinum anno 431. Calcedonense anno 451. Constantinopolitanum secundum anno 553. Constantinopolitanum tertium anno 680. Nicænum secundum anno 787. demum Constantinopolitanum quartum anno 869. In Occidente vero celebrata quatuor Lateranensia fuerunt, primum anno 1123. alterum 1139. tertium 1179. ultimum 1215. duo Lugdunensia, primum 1245. alterum 1274. Sequitur Viennense anno 1311. Constantiense anno 1414. Florentinum anno 1438. Lateranense quintum anno 1512. denique Tridentinum anno 1546. inchoatum, absolutumque anno 1563.

In Generalibus Conciliis regulæ, legesque non tam ad fidem, quam ad mores, disciplinamque adcommodatæ conduntur, ac declarantur. Tanta autem eorum est auctoritas, ut semper, & ubique ab omnibus ob id, quod universam repræsentant Ecclesiam, infallibilia fuerint judicata.

Generalia Concilia convocare Summi Pontificis est; quum enim ipse sit Ecclesiæ caput, primamque inter Episcopos frontem ex divina concessione teneat, quum ad ipsum potissimum

opti-

optima totius Ecclesiæ cura optimumque regimen spectet ; quum ad optimum Ecclesiæ regimen, ad sanam, ortodoxamque inducendam doctrinam, Christianorumque mores componendos Concilia generalia spectent, id sua sponte fluere quis non videat ? ad summum, quo legitima, justaque illa sint, ut ab aliis indicta a Summo Pontifice rata habeantur, ac confirmentur, regula generali requiritur.

De eorum punitione, qui Doctrinam Ecclesiæ impugnant, seu de Excommunicationibus, & Interdictis.

CAPUT TERTIUM.

QUæcumque Societas, quæcumque Communitas transgressores legum, quæ ad hominum mores, vitamque componendam aptissimæ sunt, puniendi jus habet: huic punitioni omnes mehercle subjiciuntur, sed omnes infligendi pœnas jus (id nemo negat) non habent, neque omnes, an iis pœnis quis videatur dignus, dijudicare possunt. Igitur jus hoc-

te ad ipsam Societatem, Communitatemque spectat, aut ad eos, qui ad hoc sunt ab ipsa deputati, aut quos designavit Legislator. Ecclesia Societas certe est, estque quædam Communitatis species; ipsa suis mehercle legibus, institutisque vivit, ac proinde eos, qui eas violent, puniendi jus habet. Societas hæcce in duas dividitur partes; regit enim unam altera; seu altera ab altera regitur: itaque de transgressoribus decidendi, eosque puniendi jus in ea Societatis parte, quæ alteram regit, non in ea, quæ ab altera regitur, residet. Sacerdotium porro est, quod hanc duplicis Societatis partis distinctionem inducit, quodque in spirituali partem alteram regit; penes Sacerdotium ergo coactiva, legislativaque residet Ecclesiæ potestas. Sed in Sacerdotio diversi eminent gradus, cerniturque subordinatio; adsunt enim presbyteri, adsunt Episcopi; Episcopi sunt pastores præcipui, ac presbyteri pastores sunt subalterni, qui possunt quidem instruere, docere, commonere, exhortari, reprehendere, sed nec jubere, nec punire possunt; punitiones ergo, & præcepta ad primarios pastores pertinent, iique uni coercere fideles possunt iisque præcipere. Itaque penes unos Episcopos residet coactiva,

legis-

legislativaque Ecclesiæ potestas, quam singuli, privatimque in suis exercere Diœcesibus possunt; in communi vero, ubi id negotiorum, quæ universam Societatem respiciunt, ratio exposcit, penes unos Episcopos, quorum caput est Summus Pontifex, residet potestas coercendi, puniendique legum Ecclesiasticarum violatores, iis scilicet pœnis, quæ Ecclesiæ competunt. Loquor hic de interdictis, & excommunicationibus, quarum disputationem silentio minime prætereundam existimo: ducam ab interdictis exordium.

Interdicti Ecclesiastici propriam censuræ Ecclesiasticæ speciem constituentis origo unde sit repetenda, ambigitur. Quidam enim, uti vir doctus ad Epistolam 121. Ivonis Carnotensis Episcopi adnotavit, Gregorium VI. ob id, quod in Epist. 94. ait, hoc remedium novum & insolitum esse, auctorem esse volunt; sed quando ex Præsulis ejusdem epistolis nempe 50. in fine, 120. 121. 263. 264. & 266, hunce usum in Gallia frequentissimum fuisse constat, quid hæc operari opinio possit, te judicem volo. Alii paulo vetustius interdictum volunt, sed nec horum placet opinio; etenim hance interdicti disciplinam longe antiquiorem esse, ex Gregorio Turonensi *lib. 8. Hist. Franc.*

com-

comprobatur; ibi enim de Episcopo Rothomagensi occiso haecce leguntur: *Post hac Leudovaldus Episcopus Epistolas per omnes Sacerdotes direxit, & accepto Concilio Ecclesias Rothomagenses clausit, ut in his populus solemnia Divina non spectaret, donec indagatione communi reperiatur hujus sceleris auctor.* Itaque interdicti Ecclesiastici primordia ad Gregorium I. referenda esse existimo; quamquam adhuc haeream, ausimque tantum adfirmare, id unam tantum probabilitatem inducere; atque in hac dubietate si quis amica manu locum, ex quo certo detegi interdicti primordia possint, commonstret, me ingentis beneficii debitorem habebit. Non memoro quorumdam opinionem existimantium, interdicti originem ab Ecclesiae incunabulis repetendam esse; isthaec enim opinio nec rationem habet, nec ullo nititur fundamento.

L. Interdicti universa potestas, quin referat, utrum ab homine, an vero a jure Canonibusve feratur, in prohibitione celebrationis Divinorum officiorum consistit, consistit in denegatione Ecclesiasticorum Sacramentorum, ac demum in Sepulturae Ecclesiasticae privatione *Cap. 16. Cap. ult. de Sent. excom. in 6. Cap. 8. de privilegiis eodem libro*. Quamquam si de iis, qui interdicto paruere, Clericis agatur, Innocen-

centius III. in *Cap. 2. extra de pœnit. & remissionibus*, eorum corpora Ecclesiasticæ Sepulturæ tradi gratiose concesserit.

Acerbissimum, fateor, maximeque ignominiosum semper fuit Sepulturæ honore carere; hæc tamen disciplina non potest non esse justissima. Etenim, ut ait S. Leo *in epist. 95. quibus vivis non communicavimus, ne iis quidem mortuis communicare posse videtur*; idque vel Romanorum temporum, teste Quintiliano, in more positum fuisse certissimum est: *In ulciscendis* (ait ipse) *criminibus non satis putavere majores eas pœnas constituere, quas posset aliquis excipere in vita, multo magis tangit sepultura, cui privatam, & propriam Religionem populus quisque addidit*. Vide Paulum *lib. 8. de Relig. & Sumpt. fun. & l. ult. §. 1. de mortuo inferendo*.

Cæterum quod spectat ad denegationem Sacramentorum, quam interdictum inducit, multum referre juvat, antiquissimamne disciplinam, an recentiorem consulamus. Olim interdictum concipi ita solebat, ut omnia Sacramenta penitus, prorsusque denegarentur. Ast postmodum, quum disciplina illhæc nimis severa, nimisque periculosa foret, cæpit quidpiam de tanto rigore remitti, cæpitque ea sensim relaxari. Equidenim Primus omnium

Ale-

Alexander III. *Cap. non est vobis extra de sponsalibus*, duo excipienda Sacramenta decrevit. Primum est Sacramentum Baptismatis recens natis, alterum est Sacramentum pœnitentiæ ex hac vita migrantibus conferendum ; is ipse deinde hance benignam concessionem *in Cap.* 23. *extra de Sent. excom.* ad Sacramentum Confirmationis porrigendam existimavit . Noverat nimirum Pontifex , re aliqua concessa , id quoque , sine quo ea res expediri commode non potest , esse concedendum. Agitur enim de Confirmatione , in qua Chrismatis unctio athletarum more , ad confirmandos in pugna contra diaboli potestatem Christianos adhibetur . Voluit deinde Bonifacius VIII. *in Cap. ult. de Sent. excom. in* 6. ut Sacramentum pœnitentiæ nedum morientibus , sed & vivis concederetur, confirmavitque hac in re Alexandri II. in dicto *Cap. non est vobis*, & Innocentii III. *in Cap.* 2. *extra de pœnit. & remiss.* constitutionem .

Ab hac tamen benigna Pontificum Maximorum concessione excluduntur tum illi , quorum ob culpam interdictum latum est , tum eorum administri , qui illis opem , consiliumque tulerunt , *Cap. ult. de Sentent. excom. in* 6. Sicut enim inter eos delicti Societas fuit , ita &

pœnæ

pœnæ paritatem esse non immerito oportet, exemplo ejus, qui rem furtivam sciens eam suscepit, occultavitque; hic enim non eum, furti actione, quam qui eam sustulit furto, tenetur, *§. conceptum & §. cum enim instit. de oblig. quæ ex delicto nascuntur*. Quamquam tamen aliquid aliquando possit esse inter eum, cujus culpa latum interdictum est, & ejus comministros discriminis. Scilicet, ut si ille, qui interdicto caussam ob suam culpam dedit, satisfecerit, relaxetur omnino interdictum, non relaxetur tamen, licet complices, culpæque socii satis fecerint, ne in eorum quidem persona, illisque pœnitentiæ tantum Sacramentum concedatur: hic enim, ni fallor, sensus est versiculi *nec tunc etiam dicti Cap. ult. de Sent. excom. in 6.* Cæterum, etsi interdictum maximum sit remedium compescendi, puniendique eos, qui fastu superbiæ inflati obedire Ecclesiæ recusant, hocce tamen non nisi parce, moderateque ferendum; licet enim ex una parte terrorem, timoremque incutiat, ex altera porro parte in Divini Cultus, & animarum salutis periculum quam maxime vergit: tunc enim non solum Populus Divina frequentandi officia desuetudine affectum, sensumque perdit, verum etiam Clerus ipse remissior,

igna-

ignaviorque ad eadem celebranda divina officia fit, crescit indevotio populi, tepescit fidelium pietas, pullulant hæreses; Ecclesiæ obsequia, debitæque laudes subtrahuntur; minuunturque suffragia, ac adolescentes in fide minus inflammantur: dic alia benè multa, quæ inde oriuntur, emerguntque pericla.

Interim tamen quis facile potest intelligere, quam lugubris sit tempore interdicti Ecclesiæ facies, quam luctuosus tempore interdicti status, quantaque sit Christianorum in eo loco commorantium mœstitia; qui præterquamquod quasi pagani à divinis cessare laudibus compelluntur; aliquando coguntur videre corpora defunctorum de civitatibus; villisque efferri; moreque canum in biviis, & fossis sine orationibus, Sacerdotumque ministerio sepeliri. Hæc de interdictis; ad excommunicationes me modo refero.

Ut a definitione exordiar, ea nil aliud est, quam *separatio hominis Christiani a Societate, & Communione fraterna, ab unione Ecclesiæ, & omni fidelium cœtu, convictuque depulsio*; hominis dixi Christiani, in infideles siquidem, & Ethnicos, illosque, qui extra Ecclesiam sunt, hujusmodi pœna non cadit; cum istis namque nulla communio, nulla Societas est, idque est, quod

Apó-

Apostolus *cap.* 5. 1. *Epist. ad Corinthios* ait, se de iis, qui foris sunt, quive Ecclesiasticæ Communionis non sunt participes, non judicare.

Generalis hæcce excommunicationis definitio utramque ejus speciem complectitur, mortalem, ut vulgo dicitur, & medicinalem; quæ sit medicinalis, quæ sit mortalis, nemo nescit: ea a sola Divinorum Sacramentorum perceptione Christianum depellit; sicque ea appellatur vel ratione effectus, quia scilicet excommunicatus ut plurimum rubore confusus ob id quod se a fidelium consortio prohiberi videt, resipiscit, melioremque ad frugem sese convertit; vel ratione totius Ecclesiæ, ejusque membrorum, quæ sana sunt; iis enim hocce remedio prospicitur, ne morbum excommunicati fœdam contrahant contagionem, neque ejus sordida participatione maculentur, & pereant. Labes enim facile communicatur, & qui impurum tetigerit, piaculum, noxamque contrahit. At vero excommunicatio mortalis nedum a perceptione Sacramentorum excommunes Christianos repellit, verum etiam in totum ab omnibus fidelibus alienos facit; eosque abscindit a corpore; suntque per hance illi Ecclesiæ mortui; nulloque spiraculo vitani

tam Deificam hauriunt, funtque a vita immortali, gloriaque fempiterna rejecti.

Adeo autem olim qui anathemate, majorique excommunicatione percutiebantur erant exosi; ut ex Sacris diptychis, quæ erant tabulæ, in quibus fidelium nomina vivorum, mortuorumque defcribebantur, quasi ex vitæ libro delerentur, *Can. fane cap. 24. quæst. 2. Can. 2. nomen cap. 2. quæst. 1. Can. quid obest. c. 11. q. 3.* Cujus rei comprobandæ elegantissimum extat vestigium apud Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum in *Opusculo de divortio Lotharii Regis, & Tetbergæ Reginæ. In Sacris* (inquit) *diptychis non frivole nomina fidelium tam vivorum, quam defunctorum scribuntur, & infidelium de iisdem diptychis etiam post mortem divino judicio, si conscripta fuerant, eraduntur.* Sed multo adhuc pejor Clericorum excommunicatorum fors erat. Etenim ex albo Clericorum, quod Primicerius juxta *Canonem perlectis dist. 25.* disponebat, eradebantur, eorumque nomina, quæ in Ecclesia offerri publice consueverant, in oblatione missæ supprimebantur, ut eo silentio Clericus excommunicatus agnosceretur, ac vitaretur; interim, ut eorum notio communior, plausibiliorque fieret, publice in triviis, propylæisque, ut in excommunicatione

Poly-

Polycratis, aliorumque Asiæ Episcoporum contigit, describebantur.

Quum excommunicationis pœna omnium gravissima sit, non nisi pro gravissimis criminibus infligenda est, sumpto a jure Civili exemplo, quod pro levioribus criminibus leves pœnas, pro gravissimis gravissimas luendas apponit; hinc merito S. Leo *Epist.* 89. *Cap.* 6. de excommunicatione ob levem caussam inflicta conqueritur; merito etiam S. Avitus Archiepiscopus Viennensis *Epist.* 61. Constantium Episcopum, ob id quod communionem facile denegaret, condemnat; extatque egregium querelæ Petri Damiani de nimis frequenti usu anathematis exemplum.

Quo vero excommunicatio juris effectum habeat, ut ut justissima ejus ferendæ caussa sit, exerceri in subditos ante non debet, nisi prius tres monitiones, additis tamen quibusdam temporum intervallis, præcedant, ad exemplum Civilis juris, quod certis in caussis trinam denunciationem requirit *l.* 4. *de pignor. act. l.* 63. §. 1. *de re judic. l.* 8. & 9. *cod. quomodo judex. Sententiam proferre debeat novella* 117. §. *penult. l. ult. cod. Theodos. de S. C. Claudiano*. Istum monitionum numerum ex lege Christi fluxisse, manifestissimum est; vult enim ipse ex *Matth.*

c. 18. 15. primam monitionem inter te, & fratrem tuum faciendam esse, alteram adhibitis duobus testibus, tertiam faciendam ab Ecclesia; tunc autem si Ecclesiam frater non audierit, eum excommunicandum esse, habendumque tamquam Ethnicum, & Publicanum; en verba! si *peccaverit frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum; quod si non audierit eos, dic Ecclesia; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus, & publicanus; amen dico vobis quacumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quacumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.*

Hasce porro regulas Apostoli ipsi, quibus fuerunt præscriptæ, successoribus suis transmittendas servarunt. Exemplum nobis Apostolus Gentium suppeditat; severitatem enim tunc demum, quando durities cordis, & pertinacia nullum resipiscentiæ spei locum relinquit, promisit; *timeo* (ait ipse II. ad *Corinth.* XII. 21. XIII. 1. 2. 10.) *ne ... iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex eis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia,* quam

quam egerunt. Ecce tertio venio ad vos; in ore duorum, vel trium stat omne verbum. Prædixi, & prædico, ut præsens, & nunc absens; iis, qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus; quoniam, si venero, iterum non parcam. Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. Si huc vellem omnes singillatim Canones ad hanc rem pertinentes recensere, res esset non finiendi laboris; multo minus si omnes SS. Patrum auctoritates; quapropter unam S. Augustini phrasim commemorare sat erit. Scribit ipse in *Serm.* 164. *de verbis Apostolorum c.* 5. *Sane si judex es, si judicandi potestatem accepisti Ecclesiastica regula, si apud te accusatur, si veris documentis, Testibusque convincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada, sic vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina.* Quid clarius, quid apertius?

Hæ autem trinæ admonitiones non de consilio tantum, sed de præcepto; uti egregie Idem Augustinus ostendit, uti ostendit Hieronymus, Ambrosius, aliique, judicandæ sunt. Si itaque monitiones non præcedunt, excommunicatio secundum Canonicas sanctiones facta nequaquam credetur. Argumentum sua sponte fluit, clarumque apparet in *Can. de illicita*

 c. 24.

c. 24. *quæst.* 3. *can.* 8. *de Sentent. Excom. in* 6. Hæcce excommunicatio sive major sit sive minor, duplex est, una juris, hominis altera appellatur *Cap.* 19. *extra de sent. excommunic. cap.* 21. 22. 23. *eodem tit. in* 6. Quæ fertur a Canone, dicitur excommunicatio juris, vel ipso facto, ipsove jure lata *Can.* 4. *de sent. excom. in* 6. *Can.* 2. *de judiciis c.* 3. *de elect. & cap.* 2. *in fine de sent. & re judic. eodem lib.* quia scilicet vi, potestateque juris absque hominis, judicisve ministerio infertur. Fateor, & in hac necessaria sententia judicis videtur; sed hæcce condemnatoria certe non erit, erit tantum declaratoria, qua scilicet eum in excommunicationem incidisse declaretur. Excommunicatio autem hominis ea est, quæ non a Canone infertur, sed quæ ab iis, qui censuras Ecclesiasticas ferendi jurisdictionem, potestatemque habent, sic ut isthæc non latæ sed ferendæ sententiæ dicatur.

Quum excommunicatio ad castigationem, correctionem, reformationemque morum pertineat, ad eos proinde, ad quos punitio, reprehensio, morumque pertinet reformatio, excommunicatio pertinebit. Itaque excommunicare poterunt Episcopi, istos enim ex lege Christi ea onera manent; quamquam olim id

facere

facere fine confenfu Archiepifcopi aut Epifcoporum ejufdem provinciæ judicio minime poffent, fic ut, quoniam provinciale Concilium bis in anno convocari confueverat, illic excommunicationum cauffæ, quæftionefque difcuterentur. Epifcopis Abbates jungo; etenim & ifti excommunicare Monachos poffunt; quum enim ad iftos Monachorum punitio, reprehenfio, morumque fpectet reformatio, quum excommunicatio ad ifthæc omnia tendat, quid ni id verum judicemus? vide *cap.* 10. *extra de Major. & ob. & cap.* 39. *extra de Simonia*. Ad quos vero alios præter hofce excommunicatio fpectet, fi vis noffe, vide *Can. Corripiantur c.* 24. *q.* 3. *c.* 3. *de off. jud. ordin. & Can. nemo c.* 2. *q.* 1.

Ut autem excommunicationis macula abftergatur, ac deleatur, ferenda abfolutionis fententia eft juxta Ecclefiæ formam *Cap.* 28. *de Sentent. excomm.* in quo Capitulo (quod notandum) hocce difcrimen inducitur inter vinculum, quo peccator apud Deum ligatur, & eum, quo ligatus eft apud Ecclefiam; ut primum in culpæ remiffione diffolvatur, alterum vero non, nifi fententia remittatur, ac relaxetur ab eo, qui relaxandi, abfolvendique poteftatem habet, *dicto Cap.* 28. Illius autem eft abfolutionis gratiam impertiri, cujus eft Chriftianos rebelles,

ac contumaces excommunicatione ferire, & , ut ait Ivo Carnotensis in *fine epist.* 186. ab eo, cui data est ligandi potestas, quærenda est absolutio: quod hocce modo intelligendum est, ut quilibet absolutionem obtinere a proprio Episcopo vel Presbytero, idest Parocho, vel Plebano, qui excommunicavit, debeat, *Can.* 38. *c.* 11. *q.* 3. vel ab ejus Successore, si excommunicator ante absolutionem morte rapiatur *Can.* 4. *eadem quæstione & caussa*. Non ergo ab extraneo petenda absolutio est, nisi de excommunicantis licentia sive consensu *Cap.* 12. *extra de pœnit.* non a peregrino sine literis & testimonio, uti decrevit Felix III. *in epist.* 3. *Cap. ult.* ni tamen tanta necessitas subsit, ut differri absolutio non possit, uti contingeret si de articulo mortis ageretur, seu de excommunicato animam agente, supremaque verba singultiente, *Cap.* 26. *extra de Sent. excom.* tunc enim quilibet Sacerdos moriturum absolvere rectissime potest, *Cap. unico de crimine falsi in extravagantibus Joannis XXII. Cap.* 11. §. *præterea extra de off. judicis ordinarii*. Illud vero, quod proditum est, illius esse absolvere, cujus est excommunicare, sumptum a Jure Civili videtur, cujus regula est, eum, qui damnare potest, absolvendi quoque potestatem habere *l.* 3. *ff. de reg. juris*;

juris; & contra, eum, qui condemnare non potest, nec posse absolvere *l. 6. de off. Proconsulis*. Excipitur singularis Casus in *l. 3. §. adeo Cod. ubi Senatores vel Clarissimi*, ubi Judex a Principe datus non potest Senatorem capitali judicio, inconsulto Principe, condemnare, absolvere tamen, eo inconsulto, potest.

Cæterum juvat diligentissime observare, quibusdam in casibus Summum Pontificem sibi absolutionis dandæ auctoritatem servasse; isti quales sint, satis rem & in Corpore Juris Pontificii, & ab Interpretibus nostris definitam intelligo, ut in hisce propterea recensendis mihi immorandum non esse putem.



DE

DISCIPLINA ECCLESASTICA

Liber Secundus.

DISSERTATIO PRIMA.

De Cultu Deo præstando.

Optimum Ecclesiæ regimen, optimamque ejus administrationem in hisce duobus potissimum versari, in Doctrina scilicet, & Disciplina, in Prolegomenis observavi; quæ de doctrina dici, scribive possunt, paucis quidem, sed satis dilucide me disputasse existimo; restat ergo, ut ad alteram instituti partem se referat oratio nostra. Omnis porro Ecclesiæ disciplina ad tria potissimum spectat, ad Cultum Deo præstandum ob id, quod nos veritatis vias docuit, tradiditque ea, quæ muneris nostri sunt; ad Ministros, qui doctrinam edocent, divinumque promovent cultum; ad bona denique Ecclesiastica, quæ Ministris sunt concedenda. Ut autem

tem in primis hacce in dissertatione a divino cultu exordiar, placet eum cum Theologis in duplicem dividere classem: interior enim unus, exterior alter vocatur; interior in veneratione, adorationeve Dei per fidem, spem, & charitatem consistit; exterior in tribus potissimum rebus versatur, seu, ut melius dicam, exterior cultus in triplicem classem dividitur; est enim precum, verborumque cultus; est cultus actionum, est cultus denique rerum. In cultu precum, verborumque plura occurrerent consideranda, sive respectu modi, quo preces faciendæ sint, utrum scilicet flexis genibus, an rectis pedibus, utrum sæculari habitu, an Ecclesiastico, utrum submissa voce, an alta, & clara; sive respectu personarum, quæ orare, precarive debent, utrum scilicet aliquod corpus integrum oret, an privati; utrum innocentes an suspecti; sive respectu finis, utrum scilicet ob unicam Gloriam Dei, animarumque salutem oretur, an vero ob certam temporalem necessitatem, aut ob gratiarum actionem propter aliquem, quem felicem sortiti sumus, exitum temporalem; sive respectu locorum, temporum, quibus commodius, utiliusque orandum sit. Sed hæc omnia silentio mihi præ-

tereun-

tereunda puto, iisque, quibus per otium licet, discutienda relinquo.

Cultui verborum, & precum, cultus actionum succedit; duplicis hic generis est, institutionis Divinæ unus, institutionis humanæ dicitur alter: qui institutionis divinæ est, circa administrationem Sacramentorum versatur; qui vero est institutionis humanæ, ad reliquiarum ex. gr. translationes, ad peregrinationes, ad jejunia spectat. Denique cultus rerum duplicis quoque generis est: aliæ enim sunt res, quas directe Deo offerimus, ut ei maneant consecratæ, habeanturque extra hominum commercium; aliæ vero sunt, quas hominibus offerimus, ac præstamus, utique ad divini Numinis considerationem, sed eorumdem hominum usui destinatas; primi generis res sunt ex. gr. templorum erectiones, sunt vasa, & ornamenta sacra, aliaque hujusce generis, quibus templa exornamus; secundi generis res sunt decimæ, sunt primitiæ, sunt oblationes; hasce enim res utique hominibus, ut eorumdem usui inserviant, offerimus, ac præstamus, sed id ob unam divini Numinis considerationem peragimus.

De hacce duplici cultus specie, ut rem nume-

meris omnibus absolveremus, nostrisque in rebus videremur perfecti, nobis esset agendum, de interno scilicet, & externo; sed quum pleraque hic contineantur, quæ potius Theologorum, quam Jurisconsultorum propria sunt, hæc Theologis discutienda, perpendendaque relinquemus, ea propterea una scrutantes, quæ potius ad Juris Pontificii Interpretis munus, officiumve spectant. Itaque de cultu interno qui fide, spe, & charitate regitur, nil dicam, de uno exteriori, ejus tamen prima specie seposita, acturus. Itaque hance dissertationem in duplicem dividam partem, in prima de cultu exteriori actionum, eo scilicet, qui institutionis est divinæ, agam; de altero namque, quum de re facillima agatur, nihil; in altera agam de cultu exteriori rerum, tum earum, quas directe Deo offerimus, ut ei maneant consecratæ, habeanturque extra humanum commercium; tum earum, quas hominibus, ut eorum usui inserviant, sed propter considerationem divinam præstamus.

PARS

PARS PRIMA

De Cultu exteriori, qui in actionibus consistit, quique divinæ institutionis est, idest de Sacramentis, quæ ad hunc Cultum referuntur, & primo quidem

---

De Baptismo

CAPUT PRIMUM.

Antequam Christiana Religio floreret, infantes Sacro Baptismatis lavacro regenerandos offerre morem minime fuisse certum est. Temporum enim adjuncta, ut hoc Sacramentum, quod ad Societatem Christianam aditum patefacit, non nisi illis, quorum probatæ essent dispositiones, conferretur, suadebant; indeque est, ut ii, qui ad illud anhelabant, in plures Classes, quæ velut differentes formabant gradus, qui ad Baptismum conducerent, dividerentur. Tales erant *Auditores*, *Cathecumeni &c.*

Harum dispositionum necessitas, quando efflorescere, propagari, adoptarique Christiana Reli-

Religio cæpit, minus utique facta urgens fuit, sed non certe cessavit. Cujuscumque enim interest Societatis sibi socios, quorum probatæ sint dispositiones, admittere; inde est, ut temporibus hisce nostris, si de adulto agatur, qui Baptismo suum dare nomen exoptet, sit a Ministris, utrum eas vere habeat dispositiones, quæ necessariæ, opportunæque creduntur, probandus.

Ordinarius Minister olim Episcopus erat, tamquam scilicet Populi sibi commissi primarius pastor. Hodie Parochi, sive Parochiales presbyteri ordinarii sunt in suis Parochiis Ministri; nulli ergo simplici Presbytero, nulli Diacono, nulli inferiori Clerico extra casum necessitatis, (quo quicumque Minister est) consuetis cæremoniis baptizare permittitur.

Formam hujusce Sacramenti clare Christus expressit, dum Matthæi 28. jussit baptizare *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; sed & ex verbis Christi ad Nicodemum Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*. Quæ sit baptismi materia, liquet; aquam enim esse veram, naturalemque constat. Cæterum aquam adhibendi ritus non idem est ubique. In Ecclesia Orientali jam pridem immersionem usitatam constat ex Cyrillo Hierosolymitano *Ca-*

techesi

techesi Mystagogica 2. Quin & ita Ecclesia olim consuevit Latina, & quidem Sæculo II. uti docet Tertullianus *lib. de Coronâ militis Cap.* 3. id jam jam fieri cæpit, idque per plurium Sæculorum spatium, uti ex S. Thoma 3. *parte q.* 66. *art.* 7. colligitur, duravit, cæpitque immersionis usus ejusdem S. Thomæ tempore, quin amplius in desuetudinem abiret, adhiberi. Immersio autem, quæ olim fieri consueverat, trina præcepta multis Canonibus fuit, *Can.* 78. 79. *de Consecrat. dist.* 4. *Can.* 50. *vulgò Apostolorum*, in signum scilicet S. Trinitatis, cujus nomine S. Baptismi Sacramentum conferendum esse Christus Servator noster edocuit; sed & alias justissima de caussa unam tantum fieri præceptum legibus Ecclesiasticis fuit.

De Chrismate

CAPUT SECUNDUM.

CHrisma quod verum Sacramentum esse proxime decrevit Trident. Conc. *Sess.* 7. *de Confirm. Can.* 1. olim manuum dicta fuit imposi-

tio,

tio , frequentiusque Confirmatio ; per hocce quippe Sacramentum fideles in Fide Christi solidius, firmiusque confirmantur . Antiquitus , quando maximam Ecclesia persecutionem patiebatur, recens Baptizatis, ut fortiores ad fidem, quæ ob persecutiones periclitabatur, redderentur , conferri consuevisse certum est : hujus disciplinæ innumera sunt tum apud veteres, tum apud recentiores monumenta . Sed hodie in Ecclesia Latina (in Græca vetus adhuc disciplina , ut ex ejus rituali colligere est , servatur) illud in desuetudinem abiit; scilicet non nisi post certum temporis spatium a collatione Baptismi Chrismatis Sacramentum confertur . Quo id tempore cœperit obtinere , incertum apud Interpretes est ; eam ipse disciplinam eousque perdurasse, quo frequens adultorum Baptismus factus fuit , suspicor ; suspicor cessasse, cum adultorum Baptismi usus cessavit.

Hujusce Sacramenti Ordinarius Minister est Episcopus ; Extraordinarius ex dispensatione Presbyter est. Hoc Sacramentum ad Salutem Æternam comparandam multum utique conferre , sed necessarium non esse certum est.

De

De Eucharistia

CAPUT TERTIUM.

Excellentissimum inter omnia Sacramenta Eucharistiam esse, nemo nescit; hoc enim illud habet præcipuum, ut quando cœtera Sacramenta vim sanctificandi, quum quis illis utitur, habet, hæc ipsum salutis auctorem contineat.

Hujusce Sacramenti participatio est signum, quo an alterum magis characteristicum Christianis detur, nescio; ac per hoc excellentiæ, dignitatisque caussa Communio appellatur; ita ut, qui ab ea removentur, eos velut extraneos consideremus.

Materia hujusce Sacramenti est verus panis triticeus, vinumque de vite; verba, quibus forma præscribitur, nota sunt. Qui potest hoc Sacramentum conficere unus est Sacerdos, illeque unus hodie populo illud ministrare potest: *hodie*, inquam, ut tacite veterem disciplinam aliam fuisse commonstrem. Antiquitus enim Diaconos, ut Sacerdotum Ministros Eucharistiam populo ministrare consuevisse, du-

bia

bia tamen re qua nam ætate id in desuetudinem cæperit abire, quis nescit?

Olim recenter Baptizatis, vel infantibus Eucharistia dabatur, teste Van-Espen *part. 2. tit. 4.* viguitque hæc disciplina, vel Sæculo XI. vigetque adhuc apud Græcos, sed apud Latinos exulavit, nullusque ad Eucharistiam admittendus, nisi ad rationis usum pervenerit, riteque instructus, edoctusque sit.

Primis Ecclesiæ Sæculis, quibus fides Christiana fervebat, quotidie fideles communicabant; id ex Justino constat *Apol. 2.* constat ex Constitutionibus Apostolicis *lib. 8. Cap. XX.* constat ex Dionysio *c. 3. Ecclesia Hierarchica*. Sæculis vero posterioribus rarior esse Communio cœpit, debueruntque ad Communicandum fideles certis modis urgeri; decretumque ex Synodo Agathensi Sæculo VI. celebrato, Canone scilicet 18. ut ter saltem in anno, die nempe Natalis, Paschæ, & Pentecostis fideles, ni pro non Catholicis vellent haberi, communicarent; *vide Can. 16. de consecrat. dist. 2.*

Sed quum magis magisque in dies Christiana fides tepesceret, decretum a Synodo Lateranensi fuit, ut semel saltem in anno, die scilicet Paschatis communicarent; idque habetur in *Sess. 22. Cap. 6. de Sacrif. Missæ*, confirmavitque

Id Synodus Tridentina in *Seſſ.* 13. *Can.* 9. *de Eucharistia*, ſecuſque facientes, dum adhuc in vivis erunt, ab ingreſſu Eccleſiæ arcebuntur, mortuique Eccleſiaſtica Sepultura carebunt.

Intra tempus Paſchale, quo tam juſta Communicandi diſciplina fuit inducta, ſtatutum aliquando fuit a Concilio Avenionenſi, ne quis præter Parochos Euchariſtiam fidelibus diſtribueret; ſtatutum a Lateranenſi Concilio, ut Communio iſthæc Paſchalis in propria Parochia fieret.

Sacramenti Euchariſtiæ Sanctitas, ſummaque dignitas, & excellentia, ut digni tantum Communicent, removeanturque indigni, ſuadet; ſuadet, ut qui notorie, & publice indigni ſunt, publice, ni de eorum pœnitentia conſtet, removeantur; quamquam qui revera converſi ac pœnitentes ſunt, ſed adhuc non eſt nota converſio, non ſint ad Euchariſtiam publice admittendi. In Paſtoribus Sacerdotibuſque tamen Chriſtiana quædam prudentia requiritur, expeditque propterea, ut, dum publicos, notorioſque in ſua habent Parochia peccatores, Superiores conſulant ſuos, quidque agendum ſit, ab iis expoſcant.

De

De Sacramento Pœnitentiæ

CAPUT QUARTUM.

SI post Baptismum peccemus; nosque Deo inimicos reddamus, non aliter patet nobis saluti aditus, nisi per pœnitentiam. Hæc duplex; publica una, privata altera nominatur. Publica est, quæ palam, & in facie Ecclesiæ peragitur. Hanc unam primis Ecclesiæ Sæculis imponi consuevisse, certum est; plurésque & Theologi, & Jurisconsulti vel pro peccatis occultis pœnitentiam publicam iisdem primis Ecclesiæ sæculis factam sæpissime fuisse contendunt, adeo tamen ut ad hanc publicam pœnitentiam agendam compelli excommunicatione utique peccatores publici possent, non possent tamen occulti. Peccatori equidem secreto confitenti, nisi pœnitentiam Canonicam ageret, reconciliationem secreto Sacerdos denegabat, nil tamen ultra agebat in eum. Hæc pro peccatis occultis publicam peragendi pœnitentiam disciplina in Ecclesia Latina usque ad VII. Sæculi finem, si credimus Morino *lib. 7. cap. 1.* duravit; mutatumque id non jam ali-


cujus Ecclesiæ decreto, non Constitutione generalis Concilii, non physico more, sed paulatim tacitoque quodam Ecclesiarum consensu.

Fuit itaque veteri disciplina discrimen utique inter publicam, privatamque pœnitentiam agnitum, non fuit tamen multis sæculis nota distinctio inter publicam, & solemnem, quam hodie præter privatam Juris Canonici interpretes norunt. Solemnem dicunt, quæ fit tempore quadragesimæ ea cum solemnitate, quæ in *Can. in Capit. distin.* 50. describitur. Publicam appellant, quæ fit in facie Ecclesiæ; privatam dicunt, quando aliquis solus, ac secreto Sacerdoti peccata confitetur.

Ordinarius pœnitentiæ Minister solus olim erat Episcopus, eique uni multis sæculis peccatores publicos reconciliandi potestas competiit, sensimque cœpit post Sæculum septimum ad Presbyteros deferri, & pro ut pœnitentia publica desinebat, factaque frequentior privata fuit, facilius ad illos hæc potestas manavit, non tamen ad omnes, sed ad Parochos unos respectu Parochianorum, adeo tamen ut ipsi, si se impares omnibus confessionibus excipiendis impares sentirent, tot Sacerdotes, quos sufficerent, subrogarent. Hodie quicumque Sacerdos, obtenta ex Concilii Tri-

den-

dentini statuto adprobatione *sess.* 23. *Cap.* 15. ordinarius Pœnitentiæ Sacramenti Minister est, inque universa Diœcesi reconciliare peccatores potest.



De Extrema Unctione

CAPUT QUINTUM.

I*Nfirmatur quis ex vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei sublevabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei*: Sunt verba Jacobi Apostoli *in Epist. Canonica Cap.* 5. relata a Concilio Tridentino *sess.* 14. *Cap. de Sacramento Extremæ Unctionis*; verba certe, quæ materiam, quæ formam, quæ Ministrum Sacramenti Extremæ Unctionis commonstrant: quamquam quoad formam spectat, ea ex institutione divina non sit essentialis, sic ut sine illa numquam Sacramentum valide conferri potuerit: tum quia ex Sacramentario Sancti Gregorii apud Hugonem Menardum *pag.* 251. in Ec-

clesia Latina hanc formam antiquitus usitatam non fuisse constat, tum quia Ecclesia Græca alia formula utitur; de validitate tamen Sacramenti a Græcis collati quæstio numquam mota fuit.

Sacramentum hocce solis conferendum infirmis esse, eadem verba commonstrant, docetque Tridentinum Concilium *sess.* 14. *Cap.* 3. *de extrema unctione*. Incertum tamen, quam nam gravis, tum ex iis verbis, tum ex Tridentino Concilio infirmitas esse debeat; talem tamen non esse eam oportere, ut nullus amplius adipiscendæ valetudinis, & spes, & campus pateat, certum est; ea ergo erit (talis est Ecclesiæ Latinæ praxis) infirmitas, ut timeatur, ne supremum homo diem conficiat.

Olim hoc Sacramentum tamquam pœnitentiæ complementum viatico præmittendum credebatur, ritusque iste in Sacramentario S. Gregorii præscribitur, hæcque disciplina usque ad sæculum antecedens duravit. Satis porro veteres verbi *Unctionis extremæ* vim non intellexerunt; neque enim extremum hoc Sacramentum dicitur, quod sit pœnitentiæ complementum, sed ideo, quia iis, quibus, ne suæ extremum vitæ momentum immineat, timetur.

Mi-

Ministros hujus Sacramenti superiora Jacobi verba commonstrare dixi, sunt enim presbyteri; quamquam in Ecclesia Latina unus hujus Sacramenti ministrandi sufficiat, in Ecclesia autem Græca plures, quum *Presbyteros* in plurali numero dixerit Jacobus, adhibentur. Cœterum inter presbyteros unum Parochum ordinarium hujus Sacramenti Ministrum esse disciplina hodierna est.

Scio, qualis hujus Sacramenti non reiterandi, veluti si infirmum morbus ita reliquerit, ut mortis discrimen evasisse videatur, deinceps vero in vitæ discrimen iterum adducatur, fuerit agitata quæstio, & recepta; sed scio quoque, merito deinceps eam improbatam, definitumque fuisse, illud reiterari in eadem infirmitate posse; id evidenter Concilium Tridentinum *seff.* 14. *de Extrema Unctione*, commonstrat, id Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 4. *Cap.* 8. id Synodus Iprensis sub Richovio *tit.* 17. *Cap.* 3. id alia bene multa Concilia bellissime constituerunt.

De Ordinis Sacramento

CAPUT SEXTUM.

ORdo latine quemdam gradum aut statum personarum, sive dignitatem significat; unde Ordo Senatorius, Ordo Equestris, Ordines alii, qui a reliquo populo, nempe a plebe distinguuntur, habentur. Quapropter qui e Christianis fidelibus ad Sacra ministeria, divinaque Officia vocantur, distinctum a caeteris Ordinem componunt, Clericorumque Ordo appellatur. Sed iste in diversos gradus dividitur, eique, qui dixerit praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos quasi per gradus ad Sacerdotium ascendatur, Tridentinum Concilium *Sess.* 23. *Can.* 2. *de Sacramento Ordinis* anathema dicit. Habet hocce Ordinis Sacramentum suam materiam, suam formam, suum habet Ministrum. Ut quae materia, quae forma sit, dignoscatur, placet considerare potestatem, quae Presbytero in Ordinatione tribuitur, duplicem esse: prima ad potestatem conficiendi Eucharistiam refertur, altera ad ligan-

gan-

gandum , solvendumque a peccatis , quæ per manuum impositionem hisce verbis confertur : *accipe Spiritum Sanctum &c.* pertinet ; porro si primam Ordinis potestatem respiciamus , manuum impositionem pro materia haberi, verba pro forma, plurium est Sententia ; si vero potestatem alteram consideremus, verba ii volunt formam, Calicis , Hostiæque traditionem materiam .

Hujusce Sacramenti Ordinarius Minister tam apud Latinos , quam apud Græcos , vel a primis Ecclesiæ sæculis dijudicatus proprius Episcopus fuit , communisque est in hac re Sanctorum Patrum Sententia , sic ut eorum nonnulli ita dei Episcopis dijudicent, ut quasi hoc solo jure Presbyteros antecedant . Sic enim habet Chrysostomus *Homil.* 2. *in Epist.* 1. *ad Timoth. Sola quippe ordinatione superiores illi* (Episcopi) *sunt* ; *atque hoc tantum plusquam presbyteri habere videntur* . Sic vero Hieronymus , *Epist.* 85. *ad Evagrium : quid facit Episcopus excepta Ordinatione , quod Presbyter non faciat*? Cœterum proprius Episcopus hocce Sacramentum conferre non nisi in sua Diœcesi potest , idque ex diœceseon divisione facta , vi cujus , confusionis vitandæ causa , statutum , ne quis in alie-

alienos terminos suam jurisdictionem, potestatemque extenderet, profluit.

Porro proprius alicujus ordinandi Episcopus quis dicitur aut ratione Originis, aut ratione Domicilii, aut ratione Beneficii. Ratione Originis Episcopus dicitur Episcopus loci, in quo ordinandus suos natales traxit; utique olim locus, in quo quis esset oriundus, non respiciebatur, sed ratio loci, in quo quis baptizatus fuisset, habebatur, ita ut spiritualis seu ad sempiternam Beatæ Æternitatis vitam generatio carnalem, corporalemve generationem hac in re præcederet. Sed jure novo attento non baptismi, sed nativitatis locus spectatur. Argumentum enim evidentissimum in *Cap.* 3. *de temporibus ordinat. in* 6. occurrit: *Superior intelligitur* (ait ibi Bonifacius III.) *in hoc casu Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad Ordines promoveri desiderat oriundus*; quid clarius? Non ergo nativitas Patris, non nativitas Matris, sed nativitas Ordinandi ipsius attenditur.

Episcopus Domicilii Episcopus ejus loci, in quo ordinandus habet Domicilium, censetur: Denique ratione Beneficii Episcopus proprius dicitur ille, in cujus Diœcesi illi, qui Ordines petit, Beneficium paratum est.

Hæc

Hæc porro inter proprios Episcopos differentia antiquissimæ disciplinæ incognita penitus erat; ea enim proprium Episcopum non nisi illum agnoscebat, in cujus diœcesi erat Ecclesia, cui Clericus adscribebatur; Ecclesiæque propterea adscriptio unicus erat, qui in ordinando requirebatur, titulus. Quo vero tempore hæc mutatio cæperit disciplinæ, incertum admodum est; hocque unum constat, nullam Decretalem, Canonem nullum, quo ante Bonifacium III. hæcce triplex Episcopi proprii disciplina comprobetur, reperiri. Interim tamen ex hisce certum semper in ordinatione titulum necessarium fuisse, bellissime liquet. Olim enim, anteaquam S. Ordinatio a Collatione Beneficiorum distingueretur, titulus erat ipsa Clerici Ordinatio; postmodum vero, quum distincta ordinatio a Beneficiorum collatione fuit; titulus necessarius Beneficium fuit; paulatim vero factum, ut titulus sufficientis Patrimonii verus Ordinationis titulus crederetur; eum tamen extraordinarium titulum appellavit Tridentinum Concilium *in sess. 21. Cap. 2. de reformatione*.

Si cujusque personarum status interest, ut qui ei adjicitur, vir probus, honestisque moribus sit, id multo magis Clericorum Ordi-

nis,

his, statusque interest; adeoque inter hunce Ordinem non nisi illi admittendi, quorum evidentissima probitatis, & exempla, & testimonia habeantur; haecque proinde a conscîis Parochus explorabit, postquam Ordinandorum nomina publicaverit. Ni tamen probitati sufficiens doctrina jungatur, neminem ordinandum voluit Tridentinum Concilium *sess.* 23. *de ref. Cap.* 12. idque ab Apostolo constitutum hisce verbis: *manum cito nemini imposueritis; neque communicaveritis peccatis alienis*, I. *ad Timoth.* 5. *V.* 22. En quid S. Leo *Epist.* 87. *capit. XXI, scripsit. Quid autem est* (ait) *cito manus imponere nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* In hisce Apostoli verbis insistens & S. Chrysostomus *hom.* 16. *in Epist. ad Timot.* ait: *quid est illud cito? non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna praecessit, exactissimaque discussio, tunc impositio manus.* Qui itaque bonis, honestisque moribus non decorantur, qui sufficientem scientiam non habent, una cum iis, qui certam non habent aetatem a Concilio Tridentino definitam *in Sess.* 23. *Cap.* 12. *de reform.* aut qui certis impedimentis a Pontificio jure statutis detinen-

tinentur, ab Ordinatione sunt repellendi, sic (ut eos, qui Baptismum non receperunt, januamque Ecclesiæ non sunt ingressi, taceam) repelluntur servi; etenim, quum isti per Ordinem libertatem consequantur, iniquum, injustumque est, eos a potestate Domini sine ejus consensu abripere, *Cap. 3. de Servis non Ordinandis*; repelluntur Syndici Universitatum, pupillorumque tutores, & quotquot ad reddendas rationes tenentur, *Cap. unico de obligat. ad ratiocin.* repelluntur infames, simoniaci, homicidæ, ni tamen homicidium casu, & sine culpa acciderit, *Concil. Trid. sess. 4. Cap. 7. de ref.* excluduntur ex injustis nuptiis nati, sive illegitimi, *Cap. 2. de filiis presbyterorum*; arcentur ob incontinentiæ suspicionem bigami, arcentur eunuchi. De infantibus & hæreticis, de apostatis, & neophitis, iterumque baptizatis non loquor; satis enim eos ordinari non posse *ex can. 2. & 3. dist. 23. Cap. qui in qualibet cap. 1. quæst. 1. can. 117. de consecr. dist. 4.* bellissime constat; non loquor etiam de epilepticis, corporeque vitiatis, non loquor de surdis, & mutis, quique insigni deformitate notantur; isti enim partim, ne Ordines ludibrio aliorum exponant, partim quia corporis vitio ad Ordinis exercitium inidonei esse videntur,

irre-

irregularitatis nota ex Canonum dispositione afficiuntur.

De Matrimonio

CAPUT SEPTIMUM.

MAtrimonium excellentissimam esse civilis societatis promovendæ viam, nemo nescit; ejus tamen excellentiæ idea, si quis ejus auctor sit consideretur, crescet, majorque illi commendatio accedet. De hoc agendum nobis, postquam paucis de cæteris Sacramentis disputavimus, restat; ab ipsis sponsalibus, quæ matrimonium præcedunt, exordior.

Hæc definiuntur *in Can.* 3. *cap.* 30. *q.* 5. *futurarum nuptiarum promissio*; sumptaque hæc definitio videtur a *l.* 1. *ff. de Sponsalibus*, ubi eadem propemodum verba occurrunt. Cui bono inducta sponsalia sint, soleantque Matrimonium præcedere, non una ratio. Constantinus Harmenopulus *libro* 4. *Promptuarii Juris tit.* 1. *in princip.* hanc suggerit; nempe ut possint sponsi, sponsæque prævidere, præparareque

id,

id, quod poſtea ſit futurum. Hottomanus III. *de nuptiis* 5. exiſtimat, ideo nuptias inter Chriſtianos non ſatis pie ſine præcedentibus ſponſalibus contrahi, ut medio temporis intervallo tempeſtive diſpiciatur, num aliquid fortaſſis ſit, quod Matrimonii conſumationem impediat, & ne ad concubitum effræni libidinis impetu conjuges ruant. Addi hæc, meo judicio, ratio, quæ præcipua videtur, poteſt, ut ultro, citroque ingenium, moreſque probentur, quorum potius habenda eſt ratio in nuptiis, quam corporis pulchritudinis, magnitudiniſque dotis; hancque ob cauſam receptum jure Judaico fuerat, ut pactæ, promiſſæque ſponſæ ſponſis cuſtodiendæ, donec contraheretur Matrimonium, traderentur, quo ſcilicet hocce temporis intervallo obſervaretur, tentareturque pudicitia, uti S. Bernardus in *laudibus Virginis Matris* egregie notavit.

Ut in aliis contractibus, ac negotiis conſenſus contrahentium eſt neceſſarius, & neceſſarium quoque in ſponſalibus eſſe tum ex civili, tum ex Pontificio jure probatur; exprimi autem non tantum verbis, vocibuſque poteſt, verum etiam nutu *l.* 73. *de jure dot.* inde eſt, ut & mutus contrahere ſponſalia poſſit; nam in mutis, ut Quintilianus ait, nu-

nutus pro sermone est ; vide *l.* 43. *in princip. de procurat. l.* 65. *ff. si pupillo ad S. C. Trebell.* dic idem de surdis; quamquam si veterem Jurisprudentiam respiciamus , isti, (mutos dico, & surdos) contrahere sponsalia prohiberentur: quum enim isthæc non nisi stipulatione, sponsioneque fierent , quum stipulationem , sponsionemque perficere muti , surdique non possent , quum illi verba proferre , isti audire nequirent, id verum esse liberrime fluit.

Ex eo autem quod necessarius consensus sit, fit, ut infantes, qui consensus sunt incapaces, contrahere sponsalia non possint; adeo ut, si contrahant, nulla, ac irrita sint; dic idem de iis , qui vi , metuque illa contrahunt : vis enim, metusque tollit consensum . Sed quid si juramentum sponsalibus vi , metuque contractis addatur ? Arctissimum equidem juramenti vinculum est, gravisque ejus certe vis reputatur , hocce tamen casu tam firmum credendum non est, ut sponsalia, quæ nulla per se, ac irrita sunt , firma , & valida vi potestateque sua efficiat. Equidenim? Juramentum naturam negotii , & actus , cui accedit , assumit, *l. ult. cod. de non numer. pecun.* hoc autem negotium, & actus, qui vi, metuque elicitur, nullus est, ergo juramentum nullum est, flocci-

cique

cique faciendum . Vide *Cap. cum contigat extra de jurejurando Cap. 2. extra de eo , qui duxit in matrim.* Cæterum considerandum est, id verum esse , si sit metus gravis , qui possit in constantem cadere virum , quemadmodum est ex. gr. metus mortis , gravissimusque corporis cruciatus occurrat ; nam si levis est , aut reverentialis, Sponsalia , præcipue si sint juramento firmata , in irritum non cadere definitum est ; dic idem , si metus per actum aliquem subsequentem voluntarium , ex. gr. per carnalem copulam , spontaneamque cohabitationem purgetur ; tunc enim , quod prius irritum erat , illud deinceps convalescit argumento *l. 2. Cod. de his , quæ vi metusve caussa*. Convalescit multo magis , quando postea , metus caussa cessante, spontanea ratihabitio fuerit subsequuta.

Infantibus , iisque , qui vi , metuque gravi ad Sponsalia contrahenda adiguntur , similes eos facio , qui ebrii sunt ; quum enim ebrii , poculisque usque ad alienationem mentis obruti , quid loquantur , quidque agant , non intelligant, sunt ad instar furiosi, menteque capti , qui consensu carens , intellectuque destitutus, nec nuptias nec Sponsalia potest contrahere *l. 8. de Sponsalib. l. 16. in fine de ritu nuptiarum , Cap. 24. de Sponsalib.*

E Nota

Nota est Sponsaliorum divisio inter ea, quæ de præsenti, & ea, quæ de futuro celebrantur. Nota divisio inter sponsalia, quæ pure, quæ in diem, quæ sub conditione contrahuntur: pure hisce ex. gr. verbis *ego te accipiam in uxorem*; *ego te in maritum*; contrahuntur in diem, cum quis spondet, se aliquam in uxorem intra certum tempus accepturum; sub conditione, quando Sponsalibus conditio aliqua adjicitur. Horum autem, quæ sub conditione celebrantur, sponsaliorum talis natura, & indoles est, ut conditione demum existente Sponsalia & firma, & rata habeantur; ea vero deficiente, nihil promissum videatur; adeo ut alteri parti, vel altera parte invita, liceat recedere, Sponsaliaque quærere nova, *Cap. unico de Sponsalib. in 6.*

Sed jam videamus, quomodo Sponsalia dissolvantur. Notum est tritissimum illud adagium, unumquodque per easdem caussas, quibus colligatum est, dissolvi; ac propterea, quemadmodum ad contrahenda sponsalia consensus, idemque liber requiritur, ita consensus, idemque liber, ad ea dissolvenda necessarius est; ducto similitudinis exemplo a Societate, quæ mutuo contrahentium consensu inita contrario consensu dissolvitur *l. 63. §. di-*

 ximus

ximus pro socio; est enim uxor vitæ socia; κοινωνὸς τοῦ βίου, ut ait Chrysostomus *hom.* 18. *Cap.* VII. 1. *ad Corinth.* Primus itaque sponsalia dissolvendi modus mutuus consensus est; solvuntur secundo renunciatione unius *Cap.* 17. *de Sponsalibus*, dummodo tamen justa renunciationis caussa subesse videatur; solvuntur tertio ingressu in Monasterium, cui se quis mancipare velit, ut ad frugem melioris vitæ se conferat, dummodo res integra sit. Ingressus enim in Monasterium naturali morti æquiparatur, ut ait Palladius *in historia Lausiaca Cap.* 85. & Zonaras *ad Canonem* 6. *Synod. primæsecundæ*; quarto solvuntur ob Sacri Ordinis susceptionem *Cap.* 1. & 2. *ne Clerici, vel voventes*; quinto propter Cognationem, & jus necessitudinis *Cap.* 4. *de Sponsalib.* sexto propter propinquitatem, vel propter affinitatem etiam supervenientem; denique propter subsequens sponsæ stuprum, aut etiam præcedens, quod ignoravit sponsus, vel propter morbum perpetuum, ac sonticum, propterve deformitatem corporis supervenientem *Cap.* 25. *de jurejurando*. Aliæ, non ignoro, sunt sponsalium dissolvendorum caussæ, sed quum eæ omnibus notæ, quid juvat in hisce singillatim recensendis immorari?

Hæc de Sponsalibus, quæ Matrimonium

præcedunt: ad Matrimonium me confero. Hoc nihil aliud est quam *maris, & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens*; in hac explicanda definitione, quum de re facillima agatur, non immoror; hoc contrahere illi possunt, qui in justa sunt ætate constituti; hance Jus Pontificium ex coeundi potius potentia, quam ex annorum numero dimetiendam putavit, recepta scilicet Sabinianorum sententia, qui ex habitu corporis, non ex ætate Nuptias permittebant. Ulpianus in fragmentis *tit. de tut. in fin.*

Nedum autem justa ætas requiritur, sed & consensus contrahentium ad instar cæterorum contractuum necessarius est; an etiam parentum? multum referre videtur, antiquissimam ne Jurisprudentiam, an recentiorem consulamus; antiquissimis porro temporibus, & Parentum, quorum in potestate erant contrahentes, voluntas, & consensus requirebatur *leg. 2. de ritu nupt. Ulpianus in fragmentis regul. tit. 5.* Paulus *lib. 2. sentent. tit. 19.* idque & de sponsalibus fuerat constitutum *l. 7. §. 1. l. 11. de Sponsalibus*; sicut filius familias invito Patre ne compressam quidem, & a se vitiatam puellam ducere posset; si vero eam duxisset, pro injusta uxore haberetur *l. 1. unde vir, & uxor, & l. si*

uxor ad legem Jul. de adult. atque in hac re egregie Terentius in Andria scribit:

Adeo impotenti esse animo, ut præter Civium
Morem, atque legem, & sui voluntatem Patris
Tamen hanc habere studeat cum summo probro?

Hoc autem ne dum civilis, sed & naturalis suadere ratio videbatur; Filius enim observantiam, cultum, honorem, pietatemque Patri suo præstet, & exhibeat necessum est; id autem adeo verum, ut hic Parentum consensus ne dum in iis nuptiis, quæ tunc primum inirentur, necessarius esse videretur, verum & post divortium in his, quæ inter easdem personas renovabantur, ac conciliabantur, adeo ut quemadmodum nuptiæ ab initio contractæ sine auctoritate Patris, in cujus fuisset potestate puella, vel adolescens, injustæ, & illicitæ censerentur, *l. 2. de ritu nupt.* sic quoque minus legitima haberetur conjunctio, quæ dissoluta repudio superveniente postea sine consensu patris renovaretur, præcipue cum fuisset jure Civili cautum, divortium ex arbitrio Patris pendere, maxime si justa aliqua divortii faciendi suborta caussa fuisset. Jamque ergo hasce nuptias sine patris consensu celebratas injustas fuisse, apertissime constat, an ne &

invalidas fuisse dicemus? nonnullos ita sensisse scio, sed vereor, ne eorum sententia ad rei veritatem accedat; etenim neque ratione, neque ullo juris nititur fundamento. Itaque eas utique illicitas, & injustas fuisse, sed validas fuisse argumentor; nam, ut ait Paulus *lib. 2. sentent. tit. 19. contemplatio publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur*; nimirum ad publicam utilitatem Matrimonium refertur, ad liberorum namque procreationem tendit; privatum commodum est jus Patriæ Potestatis; ac propterea jus Patriæ Potestatis, quod utique per se solum, ut nuptiæ invalidæ essent, efficeret, hoc in casu flocci faciendum, postponendumque videtur, sic ut validitati Matrimonii non obstet.

Hæc antiquissimam disciplinam ante Tridentinum Concilium respiciunt; aliud porro ex hoc ipso Concilio statutum, definitumque fuit. Etenim in *Cap. 1. sess. 24. de ref. matrim.* hunce parentis consensum in Nuptiis contrahendis necessarium non esse apertissime legitur; contrahentium ergo consensum sufficere bellissime liquet.

Quo Matrimonium rite, recteque celebratum dicatur, non sufficit contrahentes certam a ju-

a jure definitam ætatem habere; non sufficit; mutuum eos præstitisse consensum; sed ut Matrimonia clandestina non fiant, requiritur: hæc clandestina Matrimonia, qualia sint, nemo nescit. Triplici namque modo talia dici possunt; primo quæ clam, & occulte sine testibus, nec in Ecclesiæ conspectu contrahuntur *Cap. 2. de Clandest. despons.* secundo quæ in Ecclesia quidem facta sunt, sed in aliena Diœcesi *Cap. 1. collectione secunda de Clandest. despons.* tertio quæ fiunt sine Solemnibus, *Can. alter. c. 30. q. 5.* qui Evaristo tribuitur; quamquam nonnullis non sine fundamento apocryphus esse videatur. Matrimonia, inquam, quo rite contracta dicantur, ne clandestina sint requiritur; hujusmodi namque furtivas conjunctiones *καὶ γάμους κρυφίους* Ecclesia semper vel ab ipsis incunabulis ex Episcoporum consensu improbavit, Sanct. Ignatius in *Epistola ad Polycarpum* aperte refellit; Tertullianus *de pudicitia* sic scribit: *penes nos occultæ quoque conjunctiones, idest non prius apud Ecclesiam professæ juxta mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur*; Leo Papa in *Epist. IX.* hisce verbis: *igitur qui filiam suam viro habenti concubinam in Matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi non conjugato dederit; nisi*

E 4 *forte*

forte illa mulier, & ingenua facta, & legitime dotata, & publicis Nuptiis honestata videatur; Concilium Vernense in *Can.* 15. ita decrevit: *omnes homines laici publicas nuptias faciant tam nobiles, quam ignobiles*; Concilium Toletanum *Can. VIII.* in hæc verba: *decernimus &c. ut nullus occultas nuptias, aut raptum faciat*; Herardus Episcopus Turonensis in Capitulis excerptis ex corpore canonum *Cap.* 130. ita: *Nullus occulte nuptias faciat.* Quapropter ut hisce clandestinis Matrimoniis occurreretur, a Tridentino Concilio *in sess. 24. de reform. matrim. cap.* 1. & 3. decretum, ut, antequam Matrimonium contrahatur, tribus diebus festivis publice intra missarum Solemnia Matrimonii contrahendi denunciationes faciendæ sint, ut sic etiam cuilibet facultas Matrimonium, si forte quædam subsint impedimenta, impediendi fiat; hæc namque plurima posse occurrere, nemo, qui tantillum Jus Pontificium calleat, nescit. Quamquam possint omnia ad duplicem Classem reduci, sunt enim nonnulla impedientia, dirimentia alia vocantur, ea, ne conjugium ineatur, efficiunt, contractum tamen non dirimunt, hæc non tantum impediunt, quominus illud ineatur, verum etiam initum omnino dis-

sol-

solvunt, & dirimunt. A dirimentibus recensendis, explicandisque incipiamus; soleo hæcce hisce carminibus decantare.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Jungitur impubes ætas, dementia, furor.

Error ergo in primis contractum dirimit matrimonium. Sed ne errandi campus pateat, placet errorem ab errore distinguere: est enim error personæ, quando una pro alia accipitur; est error conditionis, cum quis se cum libera putat Matrimonium inire; est tamen serva; est error qualitatis, cum quis se cum venusta, cum nobili, cum virgine contrahere putat, & tamen est deformis, est plebeja, est corrupta; est denique error fortunæ, cum scilicet quis nubere putat diviti, pauperrimam tamen eam esse apparet; quamquam tamen quicumque sit error, non nisi ad duplicem reduci classem possit, sic ut error aut substantialis sit, aut accidentalis. Porro si accidentalem esse constet, illum matrimonium non dirimere certum est; si vero essentialis sit, quin illud dirimat, non dubitandum: ad essentialem errorem personæ, erro-

errorem conditionis reduco, ad accidentalem vero errorem refero qualitatis, erroremque fortunæ.

Sequitur conditio, cujus impedimentum dirimens esse dixi; Conditio nimirum turpis, & impossibilis; est tamen & hic non ineleganter notandum, multum referre, utrum conditio sit contra matrimonii substantiam, an minus; tunc enim dirimitur Matrimonium, si ejus substantiæ conditio adversetur; sin minus, non ita. Succedit castitatis votum; non qualecumque tamen votum matrimonium dirimit. Nota enim distinctio est inter vota solemnia, & simplicia; nimirum si de votis simplicibus sermo occurrat, contractum certe matrimonium non dirimit; dirimit vero, si de solemnibus agatur. Deliberandum tamen est, an hæcce solemnia vota matrimonium præcesserint, an vero fuerint subsequuta; utique nimirum id verum est, si præcesserint, nulla adscita distinctione consumatum ne sit matrimonium, an minus; at si emissum post nuptias fuerit, multum certe refert, an emissum per Monachismi professionem fuerit, an vero per Sacri ordinis susceptionem. Si primum, ut ut matrimonium consummatum proponatur, non certe dirimitur; si secundum, sive matrimonium

nium consummatum sit, sive non; diremtio nulla sit; haecce distinctio ex Concilio Tridentino *Sess. XXIV. de Matrim.* ex *Cap. verum de convers. conjug.* una cum *extravaganti antiqu. Johan. XXII. de voto* aperte colligitur.

Quartum dirimens Matrimonii impedimentum cognatio est; sed quando cognatio alia est naturalis, & dicitur consanguinitas, quasi unitas sanguinis; alia spiritualis; & compaternitas appellatur; alia denique legalis, & vocatur adoptio, hæc omnia, ut in rebus nostris perfecti videamur, paucis perstringamus necessum.

Describitur a Juris Consultis consanguinitas *vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum*: dicitur *vinculum*, nec immerito; sanguine namque junctos speciali vinculo inter se se colligari certissimum est; dicitur *personarum* ad differentiam brutorum, inter quæ consanguinitatem non reperiri, compertum est; etenim, uti egregie Angelicus Doctor adnotat *in 4. distinct. 40. quæst. unic. art. 1. ad 5. ex ipsorum propagatione ex uno parente nulla amicitia conjunctio consurgit*; additur *ab eodem stipite descendentium*; verba, quæ concinnam sapiunt metaphoram ab arboris trunco sumptam, a quo multi progre-

grediuntur rami, atque descendunt. Verba quæ sequuntur *Carnali propagatione Contractum*, facilia sunt, & clara. Sed jam ad certas in Consanguinitate servandas regulas descendamus.

Consanguinitatem per lineas, perque gradus distinguimus: linea est *Ordinata personarum series ab eodem stipite descendentium diversos continens gradus*; gradus vero est *intervallum, seu mensura distantia consanguineorum inter se, & a communi stipite*. Linea duplex est, recta, & transversa, seu collateralis; illa personas, quæ genitorum, liberorumque obtinent locum, continet, & est aut ascendens, aut descendens; ascendens dicitur, quando a personis propagatis ad propagantes progredimur; descendens vero obtinet, quando a propagantibus devenimus ad propagatas. Transversalis vero linea est personas, quæ neque nos genuerunt, neque a nobis genitæ sunt, continens, sed a communi nobis cum stipite descendunt, uti est frater, soror, patruus, amita, cæterique hujusmodi. Hæc duplex est, æqualis una, inæqualis altera appellatur. Obinet æqualis, quando personæ æqualiter a communi stipite distant, uti sunt duo fratres, duorumque fratrum filii; inæqualis vero est, quando consan-

gui-

guinei inæqualiter a communi ſtipite diſtant, uti contingit in patruo, & amita reſpectu conſobrini. Cæterum nonnullæ ſolent pro conſanguinitatis gradibus computandis regulæ aſſignari: una lineam directam reſpicit; duæ aliæ ad collateralem ſpectant. Itaque in recta aſcendentium, deſcendentiumque linea tot ſunt diverſi gradus, quot ſunt, ſtipite dempto, perſonæ, ex. gr. Pater, Filius, Nepos Patris, Pronepos, Abnepos ſunt quinque perſonæ, ſunt tamen quatuor gradus, hacque ratione filius eſt in primo gradu, nepos in ſecundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto. Equidenim tot ſunt gradus, quot ſunt generationes, ad habendas autem quatuor generationes quinque perſonas requiri neceſſum eſt; adeoque prima perſona gradum diſtinctum non facit, ſed eſt veluti punctum, a quo ducitur linea, per quam perſona ſecunda diſtat a prima, tertia a ſecunda, quarta a tertia &c. In Collaterali æquali linea hæc eſto regula, ut unus tot gradibus alteri jungatur, quot quilibet ſuo ſtipiti conjungitur; proindeque tot ad invicem diſtabunt, quot diſtant à ſtipite; pro inæquali vero hæc alia eſto, ut conſanguinei tot gradibus diſtent inter ſe ſe, quot ille, qui eſt a ſtipite remotior, diſtat. Sic Patruus, & Filius

ex fratre distant inæqualiter ab Avo, in quo uniuntur; quum patruus uno tantum gradu tamquam ejus Filius distet; alter vero tamquam illius nepos duobus distet gradibus; igitur inter patruum, & filium fratris erit in secundo gradu distantia; recta autem est pro hac inæquali linea a remotiori computatio; si namque collateralis unius lineæ distantia a collaterali alterius non ex remotiore; sed ex propinquiore stipite desumeretur, remotior a stipite propinquius Collaterali, quam suo stipiti jungeretur; ab hoc enim duobus distaret gradibus; ab illo tantum uno. Præterea gradus distingui commode non possent, nam si unus esset in primo gradu cum stipite, alter vero in quarto, essent inter sese in primo gradu conjuncti, & sic a fratribus non differrent.

Regulis generalibus hisce præmissis, ad rem nostram propius accedamus. Primum porro nefarias, incestasque nuptias & naturali, & gentium jure prohiberi, manifestum est; manifestum est nuptias inter parentes, & liberos incestas, nefariasque fore; igitur illas inter eos omnibus in gradibus prohiberi manifestissimum est §. *ergo non omnes instit. de Nuptiis*; Ulpianus in *fragm. tit. 5. regul. l. 53. §. ult. de ritu nupt.* non is autem tantum incestum commit-

tit;

tit; qui uxorem ex gradu ascendentium, aut descendentium ducit, sed etiam ii, qui ex numero eorum sunt, qui ad vicem parentum, liberorumque accedunt *dicta l.* 53. *&* 56. *eodem tit.* §. *affinitates quoque instit. de Nuptiis.* Quare si privignus Novercam suam uxorem ducat, incestum committit *l.* 12. *de ritu nupt.* Noverca si quidem pene Mater est, a cujus nuptiis abstinere & natura, & pudor, & Sanctitas suadet.

Prohibitæ sunt quoque nuptiæ inter collaterales; non tamen jure gentium; gentium namque quarumdam moribus receptum est, institutisque Atheniensium germanam sororem ducere liberrimum fuit, non tamen uterinam, uti testatur Philo. *lib.* 2. *de legibus*; unde Cimonem primarium virum Atheniensem ex suæ Civitatis instituto connubio sibi junxisse Elpinicem sororem germanam scribit Æmilius Probus in ejus vita. Philoni tamen contrarius est Demostenes; ex ejus namque compluribus locis Athenis uterinam uxorem ducere, non germanam licuisse constat; inde est, ut Plutarcus in *Themistocle* filium ipsius Themistoclis sororem germanam duxisse scribat. Quidquid tamen sit de hac re; amplior certe fuit hujusmodi in Ægypto facultas; etenim ex Diono

lib.

lib. 43. non tantum germanam, sed & uterinam sororem in uxorem ducere licuisse constat. Non vetitas hasce nuptias jure gentium esse, confirmari bellissime potest ex eo, quod Spurius Ligustinus apud Livium *lib.* 42. Patrem sibi in uxorem dedisse sui fratris filiam scribit. Immo Herodotus *lib.* 5. Anaxadridam Spartanum sororis filiam matrimonio sibi junxisse narrat. Si itaque prohibitio nuptiarum fuit inter Collaterales facta, ex positiva primum civili constitutione fluxit; cæterum non eadem in hac parte Civilis juris disciplina obtinuit. Etenim Romanorum temporibus inter eas personas, quæ in quarto gradu erant, quales sunt ii, qui ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre, & sorore nati sunt, matrimonia consistebant *l.* 3. *de ritu nupt. l.* 78. §. *filiam ff. ad Senatus Consultum Trebell. l.* 23. *de Condit. instit.* Hinc est, ut Quintilianus in Proœmio *lib.* 6. *instit. Orator.* Tullius *in oratione pro Cæcinna*, Capitolinus *in M. Antonino Philosopho* Brutum Porciam consobrinam suam in uxorem duxisse scribat; inde est, ut Suetonius *Cap.* 63. Augustum Juliam filiam Marcello Octaviæ sororis suæ filio nubendam dedisse tradat. Imo & Mosaica Lege consobrinorum conjugia non improbata fuerunt;

runt;

runt ; nam & Jacob duxit Liam , & Rachel consobrinas filias Laban ; id demonstrat locus Genesis c. 29. & Tobias minor Saram consobrinam filiam Raguelis patrui sui, *Tobiæ c.* 7. & filiæ Salphaad nupserunt filiis patrui sui, *Num. c. ult.*

Hasce tamen Nuptias Diocletianus, cujus fragmentum extat in *l.* 17. *cod. de nuptiis* omnino improbavit ; idque confirmavit Arcadius, & Honorius *in l.* 13. *Cod. Theodosian. de incestis nuptiis* anno 405. Sed Arcadii, & Honorii successor paternam legem revocavit *l.* 19. *cod. de nuptiis*. Adeo ut Sæculo VI. quo Justinianus vixit, nuptias in gradu secundo initas, improbatas minime fuisse ex §. 4. *instit. de nuptiis* colligatur. Cæterum Ecclesiastico jure cautum in primis fuit, ne ad septimum usque gradum Matrimonia contraherentur *Can.* 2. 16. 19. *caussa* 35. *q.* 2. deinde vero Lateranensi Concilio IV. ut hæc prohibitio quartum non excederet gradum (uti est hodierna praxis) constitutum est *in Cap.* 8. *de consanguinit. & affin.*

Hæc de Cognatione naturali, quæ consanguinitas dicitur ; paucis nunc cognationem spiritualem, legalemque perstringamus. Cognatio Spiritualis ea est, quæ ex Sacramentis, quæ spiritualia sunt ; id est ex Baptismo, & Confirma-

firmatione oritur *Can. si quis ex uno Cauf.* 30. *quæst.* 4. Nuptias & ista impedit, dirimitque contractas inter suscipientes, & Baptizatum, Patremque ac Matrem illius, & inter Baptizantem, & Baptizatum, Baptizatique Patrem, & Matrem. Nuptias & ista impedit ex Concilio Tridentino *Seff.* 24. *c.* 2. *de reform.* intra Confirmantem, & Confirmatum, illiusque Patrem, & Matrem. Apposite ergo Zacharias Papa in *epist.* 9. *ad Pippinum Majorem Domus Cap. XXII.* hisce verbis. *Nec spiritualem, idest commatrem, aut filiam, quod absit, quis ducat temerario ausu uxorem.* Apposite Stephanus II. PP. in responsis, quæ dedit Brittanico Monasterio Cap. 4. *ut nullus habeat Commatrem suam spiritualem, tam de fonte Sacro, quam de Confirmatione; quod si conjuncti fuerint, separentur.* Apposite Adrianus II. *in epist.* 38. *ad Carolum Calvum* R. Gregorii II. decretum referens, scripsit: *si quis commatrem spiritualem duxerit, anathema sit.* Vide Ivonem Carnotensem in *Sermone primo de reb. Ecclesiæ.*

Cognatio legalis ea est, quæ a Lege proficiscitur. Itaque si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu consistit adoptio, quamdiu vinculum civile perdurat, consistere inter me, & ipsam nuptiæ minime possunt

Cap.

Cap. unico de Cognat. legal. Dixi *quamdiu durat*, nam si adoptio per Emancipationem soluta sit, sublata agnatione, sublato juris impedimento, nihil est, quod nuptiis obstet. Sanctiora nomina sunt Patris, & filii, quam sororis; quapropter inter ascendentes, & descendentes prohibitio nuptiarum dirimens, etiam adoptione soluta, saltem (uti aliqui volunt) ad 4. usque gradum perdurat. Belle hic nunc quæritur, an Matrimonium, quod fuit recte ab initio contractum, parta per adoptionem fraternitas convellat, irritumque faciat, quasi sit in eum casum deductum, a quo non possit incipere. Scio, nonnullos hac in specie Matrimonii dissolutionem absolute suadere; sed si eos, quodnam habeant præ manibus ad id comprobandum rationis momentum, interroges, eos hærere videbis, quid respondeant omnino nescientes. Itaque ut quæstionem hanc nil plane difficilem definiamus, jus summum ab æquitate separandum esse respondemus. Porro si jus summum scrutemur, illud utique exposcit, ut contractæ nuptiæ omnino dissolvantur; revera enim res est in eum casum deducta, a quo non potest incipere; hincque recte fluit Theophili in §. *sed si qua instit. de nuptiis*, sententia scribentis, tales nuptias omnino velut irritas

 esse

esse dissolvendas; subtilem nimirum rigoris juris rationem spectavit; at vero si æquitatem amamus, ea, ut nuptiæ perdurent, exposcit, contraria regula adscita, illud, quod ab initio utiliter gestum est, valere, etiam si in illum incidat casum, a quo non potest incipere; & sic belle a Jure Civili, cui Jus Pontificium subscripsit, cernimus definitum in *l.* 26. *Cod. de nuptiis. l.* 19. *in princip. & l.* 16. *§. ult. ff. de ritu nupt. Cap.* 2. *ex. de Cognat. spirit. & Can. dictum caussa* 30. *quæst.* 1.

Quintum Matrimonii dirimens impedimentum crimen esse dixit hoc duplex est; primum est conjugii occisio, certis tamen appositis conditionibus; prima est, ut mors revera sequatur; ergo si pertentata utique fuerit, sed non sequuta, necessaria, substantialisque deerit conditio; secunda, ut occisio ad Matrimonii contrahendi finem facta fuerit; tertia tandem est, ut vir, & mulier, qui velint ambo conjungi, in mortem conjugis conspiraverint; secus enim impedimentum dirimens non erit. Crimen alterum est adulterium, veluti si duo adulteri mutuo sibi dederint fidem de Nuptiis post alterius conjugis mortem contrahendis; tunc enim, dissolutis prioribus Nuptiis, posteriores jungi nequeunt, & junctæ solvuntur

Cap.

Cap. 5. de eo qui duxit in Matrimonium; ni tamen alter ex novis conjugibus priores nuptias ignoraverit *Cap. veniens eodem loco*.

Quantum sit Religionis Christianæ amittendæ periculum in eo, qui cum infideli contrahat Matrimonium, norunt Concilia, norunt & Cæsares, qui Christianæ militiæ nomen dederunt; indeque est, ut fidelem cum infideli matrimonium contrahere non posse, decreverint, contractumque dissolvi. Quapropter Divus Augustinus in Epist. 232. *tradi a nobis* (inquit) *Christiana nisi Christiano non potest*. Hieronymus *contra Jovinianum 1.* sic scribit: *qui secundas cum Ethnico nuptias prohibet, utique & primas prohibet*; apertaque est definitio Concilii Eliberitani *in Can. 16.* aperta definitio Concilii Agathensis *in Can. 16. caussa 28. quæst. 1.* & Laodiceni *in cap. 31.* aperta definitio Synodi Trullanæ *cap. 72.* & Calcedonensis *cap. 14.* denique Concilii Aurelianensis II. *cap. 10.* & Arvernensis *cap. 16.* Junge definitionem *Can. 9. dist. 1. Can. 15. dist. 32. can. ult. caussa 28. q. 1.* huc ego reducitur cultus disparitatis impedimentum, quod dirimens in recitatis carminibus esse dixi.

Vim quoque dirimens Matrimonii impedimentum esse, nunc paucis notandum; placet

 ta-

tamen vim a vi distinguere: ex enim duplex; gravis una, levis altera appellatur; levis est, quæ verbis tantum fit, qualis est, exempli gratia, ea vis, quæ tutori in pupillum est jure Civili data, atque permissa *l. 1. ff. de tutelis*; gravis est, quæ fit contra bonos mores, quæque vel in constantissimum virum cadere potest; talis est metus mortis, corporisque gravissimus cruciatus. Utique si de vi gravi incidat sermo, nuptias contractas irritas esse definimus; nuptiarum namque substantia ex libero consensu dimetitur; nihil autem consensui magis contrarium dici potest, quam violentia; ad rescindendas autem hasce nuptias non est actione opus; quemadmodum in cæteris obtinet contractibus, in quibus metus intervenit; ejusmodi enim contractus non ipso jure vitiantur, quemadmodum vitiantur nuptiæ, sed per exceptionem metus revocantur. At vero, ubi de vi levi, quæ verbis fit, tractetur, aliud dicendum. Itaque mulier, cui hæc levis vis illata sit, frustra nolentem se, & repugnantem in domum mariti inductam fuisse opponet, frustra matrimonii rescissionem tentabit; fuit enim in ejus potestate eam vim, quæ vera, & solida non fuit, dissentiendo effugere; & eo quod non repugnavit, cum ei

esset

esset contradicendi facultas, tacite consensisse videtur.

Ordinem Sacrum impedimentum dirimens esse, clara res est; itaque si quis, qui sit sacro Ordine insignitus, contrahat matrimonium, hocce rescindetur; clara quoque res est, plures eodem tempore aut uxores, aut viros haberi prohibitum esse, quapropter qui jam unam habet uxorem, si aliam eodem tempore ducat, injusta secunda uxor erit, matrimoniumque propter dirimens ligaminis impedimentum nequaquam subsistet.

Sequitur impedimentum honestatis; oritur hocce ex sponsalibus, & ex matrimonio rato, non consummato; eoque tendit, ut sponsus sponsæ, aut maritus uxoris consanguineam, vel e converso ducere prohibeatur propter honestatem, quæ in conjunctionibus maxime est attendenda *Cap.* 3. *de sponsalib.* res clara, & facilis, nec pluribus opus.

Venio ad affinitatem: affines illi dicuntur, quorum unus ad fines alterius trahitur, quemadmodum enim agri dicuntur affines, quando finis unius proximus est fini alterius, ita consanguinei alterutrius conjugis affines conjugi alteri fiunt, quando duæ cognationes inter se diversæ per nuptias copulantur, & altera ad

fines alterius accedit; affinitas itaque definitur *personarum attinentia ex perfecta quacumque copula sive licita, sive illicita descendens*; hæc olim, si de copula licita ageretur, impedimento nuptiis contrahendis erat in quinto, sexto, & septimo gradu *Can. nullum cauf. 35. quæst. 2. & 3.* hac forsan ratione, quia, ut utar phrasi Concilii Toletani II. quod habitum fuit circa annum 533. *matrimonia contrahi non debent usquequo consanguinitatis lineamenta generis successione cognoscunt, qui contrahunt.* Ultra septimum autem gradum, ut alloquitur Modestinus *in l. 4. §. 5. de gradib. & affinib.* rerum natura cognatorum vitam consistere non patitur. Cæterum deinde ex Lateranensi Concilio prohibitio isthæc ad quartum tantum usque gradum extensa fuit *Cap. penult. ex. de Consanguin. & affin.* at si de Copula illicita agatur, in secundo tantum gradu inclusive prohibitio consistit Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. matrimon. Cap. 4.*

Succedit impotentiæ impedimentum, rem paucis absolvam. Impotentiam multiplicem recenseri scio; alia enim naturalis est, & intrinseca, qua fit, ut nec haberi copula, nec semen emitti possit; alia accidentalis est, & extrinseca ex maleficio profluens. Sed quando

do utraque aut perpetua est, quæ nullo superari, tollique remedio potest, aut est temporalis, quæ cursu temporis evanescit, hæc una in temporariam, & perpetuam distinctio sufficiat. Impotentiam perpetuam non solum Ecclesiastico jure, verum etiam naturali nullum irritumque matrimonium reddere, dummodo eam Matrimonium anteire concipias, certum est. Nam si Matrimonio jam contracto supervenit, quin, consummatum ne sit, an ratum tantum, referat, matrimonium firmum, ratumque manet; at impotentia temporaria matrimonium certe non dirimit: argumentum sua sponte fluit, clarumque apparet ex *Cap. fraternit. de frig. & malefic.*

Quin quidquam de Matrimonio repetam clandestino, quum de hoc jam supra egerim, en quid dici de raptu potest: definitur iste *violenta honestæ fœminæ de loco ad locum libidinis causa traductio*: hunc raptum gravissimæ pœnæ vel ex jure civili manent; decernitur enim primo pœna mortis; secundo ut bona raptoris, opemque illi ferentium statim ad dominium raptæ transeant *l. unic. cod. de raptu virginis*; manent etiam pœnæ gravissimæ ex Ecclesiastico jure, scilicet excommunicatio, cujus mentio fit in *Cap. si quis virginem caussa 36. q. 2.*

§. 2. & Matrimonii contracti nullitas, usquequo puella rapta in potestate raptoris permaneat, Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. Agendum nunc esset de impuberis ætatis impedimento, de impedimento furoris, atque dementiæ; sed quid facilius captu, quum hæc omnia consensum, qui in Matrimonio pernecessarius est, excludant?

Hactenus de dirimentibus impedimentis. Impedientia hisce aliis decantari solent Carminibus:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito votum &c.

Hæc, ut in rebus nostris perfecti videremur, nobis explicanda, digerendaque forent; sed quum de re facili agatur, quid juvat in hisce immorari? Itaque ad alia, quæ graviora sunt, quæque nonnulla continent notatu digna, ad divortia scilicet properemus. Ex intentione, institutioneque Divina Matrimonium indissolubile vinculum continere, nec regulariter facto hominis dissolvendum esse, nemo nescit; idque non obscure ex facto ipsius Dei creantis ex viri costa uxorem colligitur; quid enim aliud per hocce voluit, nisi unitatem, nexumque conjugum indissolubilem ostendere, commonstrareque, uxorem partem corporis mariti

esse,

esse, quæ a corpore ipso avelli minime potest? Id autem clarius apparet ex Genes. II, 24. *idcirco patrem suum, matremque suam relinquet vir, uxori suæ adærebit, & erunt duo in carne una*; non ergo potest maritus, uxore dimissa, ad domum patris reverti, neque uxori fas est paternam sedem, viro relicto, petere; sed in perpetuum alter alteri adhærere tenetur. Equidem de solo marito Divinus Auctor alloquitur, sed hoc ideo, quod de uxore minor erat dubitandi ratio; ea quippe ex conjugii Lege marito erat subjecta, maritumque plus libertatis forsan sibi vindicaturum prævidebat; quapropter interrogatus a Pharisæis Christus, utrum ex quacumque caussa uxorem liceret dimittere, eos ad Sacram Scripturam, primariamque hominum institutionem provocavit ajens Matth. XIX. 4. *non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos? & dixit, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

Nihilominus apud Judæos repudii disciplinam invaluisse certum est; volunt nonnulli, id fuisse ex Moysis lege cautum, quæ cernitur in *Cap.* 24. *Deuteronomii*: *si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem,* *scri-*

scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua; cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino. Opinio vere absurda, status namque controversiæ alius est, aliaque est controversiæ definitio, en nimirum ex Moysis mente controversiæ status. Si vir quidam accipiat mulierem, coëatque cum ea, accidat autem, ut ea non inveniat coram oculis ejus gratiam, & ideo ei libellum repudii scribat, eumque in manu ejus posuerit, eamque e domo sua rejecerit, quoties hæcce mulier ejecta alteri viro nupserit, hicque vir posterior itidem eam odio prosequatur, scribatque ei libellum repudii, eumque ei tradat in manum, dimittatque illam de domo sua, aut quoties vir posterior, qui eam duxit in uxorem, mortuus fuerit, quæritur, utrum hisce positis circumstantiis prior maritus ejectam ducere rursus in uxorem possit: en controversiæ quæstionisve definitionem: *non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.* Videtis ergo quo ii, qui legem Mosai-

cam

eam repudium probasse scripserunt, abierint. Ad summum tamen, Moysem dimittendas uxores esse ob duritiem cordis populi tolerasse concedam; idque argui ex ipsius Christi responsione Pharisæis facta potest; definierat enim Christus, vinculum connubii indissolubile penitus esse; Pharisæi, qui & pessime supradicta Moysis verba interpretabantur, ea Christo opposuerunt dicentes: *Cur ergo Moyses mandavit dare libellum repudii & eam dimittere?* Christus autem ita: *Moyses pro duritia cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*, hoc est, uti interpretor: *vos ita sivit facere*, *sivit vos ita vestris viis incedere*, *connivit ad hoc factum vestrum*. Itaque quando Christus *Matth. V.* 31. ait: *quisque dimiserit uxorem suam det ei libellum discessionis*, non ex sua hypotesi alloquitur, sed ex communi Pharisæorum sententia Legem Mosaicam suo modo explicantium.

Pessima hæcce Pharisæorum sententia inconcinne Mosaicæ Legis verba interpretantium vel ad Romanos ipsos traducta fuit. Equidem primævus conjugiorum status apud Romanos repudium non ferebat; id enim vel ex modis matrimonii contrahendi per confarreationem, vel coemptionem colligitur. Nam uti ostendit Dionysius Halicarn. *lib.* 2. hæc contrahendi

ma-

matrimonia ratio indissolubile vinculum inducebat ; satisque connubiorum integritas ultrà quingentos annos duravit teste Tertulliano *de Monogamia Cap.* x. Ita scribente: *adeo repudium à primordio non fuit, ut apud Romanos post annum sexcentesimum Urbis conditæ id genus duritiæ commissum denotetur.* Cæterum ab hoc tempore divortia quidem tolerabuntur, sed ea adhuc rarissima fuisse probabile est, adeò tamen ut eorumdem faciendorum jus utique mariti haberent, non autem uxores ; &, ut Festus observat, hocce repudium contrario modo, quo matrimonium contrahebatur, fiebat, sic ut quoniam matrimonium per confarreationem contrahebatur, per diffarreationem fieret dissolutio. Sed quando uxores solo consensu acceptæ desierunt in manum viri convenire, licentia divertendi etiam uxoribus communicata fuit, ususque divortiorum ita adauctus, ut Augustus modum divortiis apponere impulsus fuerit, teste Suetonio *in Aug. c.* 34. Duravit nihilominus hæcce divortiorum libertas usque ad Constantini M. tempora, qui anno 331. primus caussas, quibus more Romano liceret divertere, determinavit. Sed quando parum Constantini conatus profuit, necessaria alia fuit Honorii, & Constantii constitutio, qua pœna

in

in injuste divertentes infligeretur; sed nihilominus divortiorum usus plusquam antea adauctus, ampliatusque fuit, ita ut Imperatores quem cohibere non potuerunt, permiserint, modo ob graves fierent caussas, quæ *in l. 8. cod. de repudiis* describuntur: nimirum uxori a marito discedere licebat, si maritus adulter esset, si esset homicida, si veneficus, perduellis, falsi damnatus, si esset sepulchrorum violator, si sacrilegus, si latro, latronumque susceptor, si abactor, plagiarius, impudicisque mulieribus aperte deditus, si uxoris vitæ insidias strueret, vel eam verberibus afficeret; Maritus e contra dimittere uxorem poterat, si eam reperisset adulteram, veneficam, homicidam, plagiariam, sepulchrorum violatricem, & sacris ædibus aliquid subtrahentem, si eam reperisset latronum fautricem, extraneorum virorum, se invito, convivia appetentem, forisque pernoctantem, circensibus ludis, vel arenarum spectaculis, se invito, gaudentem, si eam probasset sibi veneno, vel gladio, vel alio simili modo insidiatricem, perduellionis consciam, falsitatis crimine maculatam, aut manus audaces sibi ingerentem. Extra hasce caussas qui repudium faciebat, statutis legibus puniebatur. Sed ab Anastasio iterum anno 497.

in l. 9. cod. de repudiis divortia fuere extra causſas ſolo conjugum conſenſu permiſſa. Juſtinianus autem anno 528. iterum divortia, niſi memoratæ cauſſæ ſubeſſent, abrogavit; imo & novam cauſſam, quæ tanti eſſet, ut poſſet divortium fieri adjecit, nimirum ſi *maritus uxori ab initio Matrimonii uſque ad duos annos continuos computandos coire minime propter naturalem imbecillitatem valeret*. Sed hic impoſterum divortiis, repudiiſve in *nov.* 22. *cap.* 3. indulſit hac ratione, *quoniam rerum, quæ in hominibus ſubſequuntur, quidquid ligatur ſolubile eſt*: iterum autem in *nov.* 117. *cap.* 8. & 9. niſi memoratæ cauſſæ ſubeſſent, diſſolvi matrimonia non poſſe, decrevit. Sed hoc Juſtiniani decretum anno 556. uti ex *novell.* 140. conſtat, revocatum iterum a Succeſſore fuit; viderat nimirum ille, ex ea Juſtiniani conſtitutione triſtiſſimos inde effectus manare, conjugeſque ſe ſe mortali odio perſequentes perſæpe ad inſidias vitæ alterius ſtruendas profugere. Laxitas autem iſthæc divortiorum non tam cito ceſſavit; duravit enim & Sæculo XI. XII. XIII. & XIV. immo quoadusque Matrimoniales cauſſæ ad examen, notionemque in Sæcularibus foris fuerunt vocatæ, omnem illius uſum non ceſſaſſe probabile eſt. Hæc de Romanorum circa di-

vor-

vortium disciplina , quam , ne quid , quod ad plenam rei notionem pertinet desideretur, subjiciendam existimavi , dicta sufficiant : ad disciplinam Ecclesiasticam paucis expendendam devenio.

Dupliciter sumi divortium potest , primo quidem , idque frequentius , pro dissolutione Matrimonii quoad vinculum accipitur ; hæcque dissolutio , si apposite loqui velimus , divortium appellatur ; secundo accipitur pro separatione conjugum quoad thorum , & cohabitationem , durante interim Matrimonii vinculo ; hæcque separatio divortium non nisi improprie vocatur . Ut a separatione quoad thorum , & cohabitationem incipiam , ejus plures esse caussæ possunt , caussa justa esse adulterium potest . Clara est in primis Christi sententia dicentis: *omnis, qui dimiserit uxorem suam, facit eam mœchari*. Clara est sententia Augustini *l. 2. de adulterinis conjugiis Cap.* 6. ita scribentis : *licite itaque dimittitur conjux ob caussam fornicationis, sed manet vinculum prioris*. Clara est sententia S. Thomæ in *IV. Sent. dist.* 35. q. 1. *artic.* 1. *Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem in pœnam illius, qui fidem fregit, & in favorem illius, qui servavit*. Aliud tamen erit , si Maritus , qui vult uxorem adulteram dimit-

 tere,

tere, adulter & ipse sit; nam, ut eleganter observat Sanctus Augustinus *lib. 1. de Serm. Domini in monte Cap. 18.* ex quo sumtus est *Can. 1. caus. 32. quæst. 6.* nihil iniquius est, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari; &, ut alibi adnotat, quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus.

Fornicationi hæresis causam jungo; id aperte colligitur *ex Cap. 6. de divortiis, & Cap. ult. de conversione conjugatorum*; idque adeo verum, ut nonnulli ob hocce hæresis crimen solvi etiam quoad vinculum Matrimonium defenderint, quod tamen reprobavit Tridentinum Concilium *Sess. 24. Can. 5. de reform. matrim.* hisce verbis: *Si quis dixerit propter hæresim .... dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.*

Jungo sævitiam alterutrius conjugis; hanc enim tanti esse, ut separatio quoad thorum, & cohabitationem peti possit, res per seipsa clara, ac manifesta est; aperteque liquet tum *ex cap. 13. de restit. spoliat.* ibi: *Si vero tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet restitui, sed ab eo potius removeri*; tum ex *cap. 8. eod.* ita enim legitur: *Si autem capitali odio ita mu-*

mulierem vir persequitur . . . alicui probæ, & honestæ mulieri . . . custodienda tradatur.

Quid si conjunctio parere peccatum possit; separatio vero emendationem? & hic justissimam, & quoad thorum, & quoad cohabitationem separationis caussam cerno, idque fuit in *Cap.* 2. & *cap.* 3. *de divortiis* definitum.

Quid si conjuges mutuo consensu privata lege ducti, & quasi divino instinctu commoti, ac impulsi vitam solitariam, monasticamque præoptaverint? & hic optima esse potest conjugibus quoad thorum, & cohabitationem separationis causa; mutuum ergo consensum, (quod captu facillimum est) desideramus; hunc intelligimus solemnem, auctoritate scilicet, judicioque Ecclesiæ factum; non vero domesticum, atque privatum; cum ex quacumque causa sine judicio Ecclesiæ divortium factum improbetur *Can. sæculares caus.* 33. *q.* 2. *Can. multorum caus.* 35. *q.* 6. judicium autem Ecclesiæ judicium Episcopi intelligo *Cap.* 2. *ex. de Matrimonio contracto contra interd. Eccles.* An ob corporis, animique vitia deveniri facile possit ad separationem quoad thorum, & cohabitationem, vide Gratianum in *Can.* 18. *caus.* 32. *quæst.* 2. & *Cap.* 2. *de Conjug. Leprosorum*. Vide *cap.* 2. *de divortiis*.

Matrimonium nedum quoad thorum, & cohabitationem, verum etiam quoad vinculum dissolvetur, si quoties de Matrimonio inter fideles contracto agatur, alteruter ex iis deo suum Christianæ militiæ nomen, dummodo tamen baptizatus conjux in primis ab altero, utrum & ipse venire ad Christi fidem velit, expostcat, & ipse neget; nam si & ipse se baptizari patiatur, matrimonium non dissolvetur, ut nec dissolvetur, si infidelis fidelem habitare sine molestia, ac sine mœrore patiatur; id satis constat ex Pauli doctrina in *Epist. 1. ad Corinth. cap. 7.* Vid. *Berardum tom. 3. dissert. 7. cap. 3. §. ex his liquet.*

Si professio Religiosæ vitæ ab alterutro ex conjugibus, consensu tamen alterius petito, & obtento, fiat, an Matrimonii vinculum dissolvatur, quæritur. Equidem multum referre puto, consummatum ne sit Matrimonium, an vero legitimum tantum, & ratum. Si primum, utut conjux superstes & ipse aut Monasterium ingrediatur, aut saltem sese perpetuæ castitatis voto adstringat, non dissolvi penitus conjugii vinculum dicetur, sed potius conjuges perfectioris agendæ vitæ caussa dissociari. Si secundum, dissolutum vinculum omne dicemus; & ne hinc illincque hujusce rei com-

comprobandæ causa argumenta conquiramus, sat erit Tridentini Concilii verba *in sess. 24. de Sacram. Matrim. Can. 6.* referre: *Si quis* (legitur ibi) *dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit*. Sunt hæc ea verba, quæ utique in non consummato Matrimonio etiam quoad vinculum dissolutionem suadent, quam cæteroquin in legitimo tantum, & rato denegant: quum enim hæcce dissolutionem quoad vinculum in non consummato inducant, tacite Tridentinum Concilium aliud de consummato esse dicendum velle, quis non videat? alioquin quid non consummatum tantum memorare prodesset, si & eadem in consummato disciplina obtineret?

Dubitatum olim a nonnullis fuit, utrum adulterium, præterquam quod dissolutionem quoad thorum, & cohabitationem inducit, eam etiam induceret quoad vinculum; immo vel hodie Matrimonium per adulterium quoad vinculum dissolvi, Græcorum est disciplina; hoc dubium, hancque opinionem penitus Tridentinum Concilium evertit hisce verbis. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam Doctrinam*

propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum dissolvi . . . . anathema sit .

Nunc si fusiorem , uberioremque notionem de caussis , quæ dissolvere Matrimonium aut quoad thorum , & cohabitationem tantum , aut etiam quoad vinculum desiderat , adire aut Berardum poteris , aut Van-Espen ; ibi enim , quæ ad rem clariorem , apertioremque reddendam conducunt , singillatim reperies . Nobis enim , qui rerum Ecclesiasticarum principia tantum attingere deliberavimus , dicta sufficiant ; interim tamen me paucis plura dixisse , tum quoad indissolubilitatem , tum quoad caussas , quæ illud reddere solubile possunt , dixisse confido .

PARS

PARS SECUNDA

De Cultu exteriori, qui in rebus consistit, tum iis, quas directe Deo offerimus, ut ei maneant consecratæ, tum iis, quas hominibus ob Divini Numinis considerationem præstamus; & primo quidem de iis, quas directe Deo offerimus, idest

---

De Templis, eorumve erectione, consecratione, & restauratione

CAPUT PRIMUM.

Cultus sive sit ille exterior, sive interior, quem Deo ob id, quod nos veritatis vias edocuit, tradiditque ea, quæ muneris nostri sunt, præstamus, sancta res est, sancta ea omnia sunt, quæ ad hunce Divinum cultum referuntur, uti sunt ex. gr. preces, quæ ab Ecclesia præscribuntur, uti sunt Sacramenta

a Deo instituta, fidelibusque Christianis mini-strandа. Sed quæ Sancta sunt locum Sanctum, ubi ea administrentur, exposcunt, exposcunt locum, qui sit extra humanum commercium positus. De templis loquor divino cultui sic destinatis, ut nihil ibi extranei, profanique possit admitti, sed ea tantum, quæ Sacra, quæ Divina, quæ Religiosa sunt, peragi. Horumce templorum, Ecclesiarumque disputatio quum plura, & curiosa, & utilia, & scitu digna contineat, nobis non omnino spernenda videtur.

Ut autem rem hanc accurate expendamus, eam a suis ducamus initiis necessum est. Olim qui apud Gentiles Sacer locus erat, sacris scilicet peragendis, faciundisve paratus, ita ab omni violatione erat immunis, ut durissima in quoscumque violatores pœna decerneretur; sacerque iste locus templum illico appellabatur a τέμνειν, quod significat secare, scindere, sic ut ille locus talis esse significaretur, ut a reliquis esset religione distinctus. Ædes ergo (quas primos Ægyptios extruxisse decantatur, quippe qui primi, simplicitate relicta, multa in externo cultu innovarunt, singularique pompa Religionem auxerunt) Diis a Gentilibus extructæ templa fuere dicta; hincque sta-

tim

tim nata est definitio templi, ut illud esset *ædificium certo ambitu inclusum ritu peculiari Numini cuidam consecratum, & dedicatum; ut hoc ipsum imposterum inhabitaret, & ita præsens invocari, adorari, & sacrificiis, precibusque expiari posset*. Credebant autem ii, hanc ædium, templorumve erectionem necessariam omnino fuisse, sive quia non aliter Deos, nisi sede destinata, ad illos venire existimabant, sive quia, uti judicat Ethnicus apud Arnobium *lib. 2.* Deos, sub nudo axe, & sub æthereo tegmine invocati si fuissent, nihil audire, & quasi obstructos, immobilesque stare credebant: proh insanæ gentis stultitiam!

Longe alia certe apud Christianos Sacrorum ratio est: non enim necesse putant, ad inducendum Deum templa, Ecclesiasve esse erigendas; aperte enim primitivi Christiani se templis minime egere profitebantur; quod si ea habebant, non tam subtiliter ac superstitiose procedebant, uti consueverant Gentiles, qui non nisi certa loca ad eorum erectionem apta esse putabant; rati etiam ea superbis muneribus condecoranda, & auro, & gemmis, pretiosisque supellectilibus exornanda necessarium esse; hasce namque omnes subtilitates, & nu-

gas

gas veræ Religionis Christianæ simplicitas omnino respuebat; & quæcumque loca pro temporum conditione aptissima esse judicabantur; imo tunc temporis, primis scilicet Christianorum temporibus, quas ii habebant Ecclesias, ut ea omnia, quæ agebant Ethnici, inania esse, mereque superstitiosa commonstrarent, seque ab ipsis vel rerum vocabulis distinguerent, loca, quæ divino cultui destinata designarent, non templa; sed Domus Ecclesiæ appellabant, eaque nec templorum formam habebant, nec ulla exteriori pompa, & fastu celebrabantur, sed Oratoriorum potius privatorum speciem præseferebant, perpaucaque; quum paucissimus esset Christianorum numerus, erant. Sed pace, & libertate a Constantino Magno Ecclesiæ donata, quum cresceret populi Christiani numerus, ut & Ecclesiarum numerus augeretur, visum necessarium apprime fuit, & in hisce ædificandis, restaurandisque quantus esset Christianorum fervor dictu permirum est; Constantinusque ipse hac in re cæteris præivit exemplo; postquam enim potestatem Templa ædificandi, ornandi, promovendique dedit, ingentes ipse in templorum extructione opes profudit, tuncque privata Christianorum Oratoria sorti rerum privata-

vatarum subtracta non tantum Divini, sed publici juris facta fuerunt, sicque aliam omnino formam induentia templorum appellationem a Christianis primitivis rejectam meruerunt; aucta autem est horumce templorum conditio ex fanorum gentilium, vel clausorum, vel destructorum spoliis, sic ut horum ruina, & interitus insignem novorum templorum copiam produxerit, omniumque animos libido sacras ædes erigendi quotidie magis magisque inflammarit, eoque usque creverit, ut visum fuerit necessarium, quod per Leges tandem coerceretur. Hujusce libertatis coercendæ caussas innuere non est difficile; prima namque fuit sordida nonnullorum avaritia, qui scilicet quæstus, lucrique captandi causa templa ædificabant, uti ex Bracarensi constat Concilio II, *Cap. 6. apud Harduinum tom. 3. Concil. pag.* 383. & apud Gratianum in *Can. X. de consecr. dist.* 1; altera quæsita fuit in abolendis hæreticorum cœtibus, quibus fuerunt publica Sacra interdicta, hac nimirum occasione extruendorum templorum facultas præclusa penitus fuit, indeque est, ut Justinianus in *Nov. 67. Cap. 1.* ne sine sua auctoritate templa conderentur decreverit; *multi enim* (ait) *simulantes fabricare quasi orationis domus, suis medentur languoribus*,

 non

non orthodoxarum Ecclesiarum facti, sed speluncarum illicitarum. Tertia caussa hæc fuit, nempe quia templa sine sufficienti dote ædificabantur, adeo ut necessaria, quibus ali, sustentarique Ministri possent, desiderarentur; adeoque, ne sine consensu Episcopi templa ædificarentur, constitutum est *Can*. 9. *de consecr. distin*. 1. Quarta erat, quod plures captandæ gloriolæ caussa Ecclesias præter necessitatem construerent omnino superfluas, idque novit Justinianus in *Nov*. 67. *cap*. 2. hisce verbis: *nomen forte desiderans, quo & ipse fabricator Ecclesiæ vocetur*; proptereaque hujusce generis hominibus hocce dedit consilium, ut Ecclesias minantes, ruentesque potius repararent, quam novas construerent. Postrema denique caussa hæc est, quod ex templorum abundantia maximæ æmulationes, & jurgia enascerentur, quas sedari, & Civilis, & Ecclesiasticæ Reipublicæ interest. Hinc factum, decretumque vel ab ipsis Imperatoribus fuit, ut sine Episcopi auctoritate Ecclesiæ minime ædificarentur: id evincunt leges, id Capitula docent; vide *Capit*. 3. *Caroli M. de anno* 804. *apud Baluzium Tom. I. Capit*. 416. Noverunt nimirum Legumlatores, Reipublicæ Christianæ interesse, ut abusus omnes ab ea eradicarentur, ac tollerentur;

tur;

tur ; noverunt , eos maximos in Ecclesiarum erectione irrepsisse ; proinde quo ii, quoad fieri posset, tollerentur, e re esse, ut ad erectionem earum, ni Episcopi consensus accederet, non deveniretur, existimarunt.

Primitivis Christianorum temporibus Sacrarum ædium dedicatio nullam inde consecrationem excepit ; detur namque, precibus eam simplicem dedicationem peractam fuisse , minime tamen inde consecrandi ritus colligitur, ac proinde ex *epistol.* 2. *Clementis ad Jacob.* si vere esset genuina (quæ tamen ex quisquiliis Pseudo-Isidori desumta est relata in *Can.* 28. *Caus.* 16. *quæst.* 7. hisce verbis, *utilia, & congrua facite loca quæ divinis precibus sacrari oportet*) nihil inde erui difficultatis potest ; nihilque , nisi simplex dedicatio deducitur.

At postmodum Ecclesiarum dedicatio ad consecrationem homines flexit , memores , sacra quasi apud omnes gentes maximo in pretio fuisse. Sic enim exempli gratia apud Gentiles consecrandi ritus adeo sancte, & religiose observabatur , ut ferme primarius ab ipsis cultus judicaretur ; elegansque est in hac re Seldeni observatio *in tractatu de Syned. lib.* 3. *Cap. XIV.* §. 3. hisce verbis expressa : *Sicut & alia complurìa* (jungo *ab exemplis Judaeorum*) *dedicandi,*

ac

ac in sacros usus consecrandi inolevit, manavitque mos apud Gentiles, ut *ædes eorum sacra*, *aræ Deorum*, *statuæ*, *ambitusque circumjacentes per solemnia sacra*; *quæ tum Eucharistica essent*, *tum propitiatoria*, *ac velut* .... *Sacrificia illa Hebræorum in dedicationis memoriam dedicarentur*; *uti interdum transferrentur*, *ampliarentur*, *reficerenturque*. Sic sacra apud Judæos & sancte & pie, & religiose fiebant; jam enim in deserto tabernacula, altaria, vestes; imò ipsos Sacerdotes oelo sancto consecratos fuisse ex Levit. VIII. 10. II. constat.

Ritus Consecrationis Ecclesiæ huc essent adferendi, explicandique, sed quum res tritissima sit, omnibusque comperta; in hisce immorari quid prodest? Cæterum si curiosus velis hosce minutim expendere, perlegas Pontificale Romanum; sin autem eorum mysticas scire significationes, adhibe Remigium apud Murtenium *Tom. III. de antiquis Ecclesiæ ritibus lib.* 2.

Definitur autem consecratio, ut sit *actus solemnis*, *quo*, *intervenientibus quibusdam Symbolis*, *res profanæ juris divini prorsus fiant*, *qualitatemque divinam accipiant*, *ut cultui sacro*, *reique divinæ faciendæ inserviant*: Definitio vere egregia: consecratio enim (id nemo negat) qua-

qualitatem, naturamque rerum prorsus immutat, res enim profanas in Divinas convertit; efficit, ut extra commercium sint; efficit, ut nullus in eas jus habeat; efficit propterea, ut nullius esse dicantur. Sed hæc pauca de ædificatione, ac consecratione templorum dicta sufficiant; perpauca de eorumdem restauratione dicamus.

Olim porro quæ publici Juris erant, si omnium fere gentium, & præcipue Romanorum antiquitates percurramus, suos semper Curatores, qui in primis operam darent, ut sarta tecta conservarentur, suadenteque necessitate reficerentur, habuisse intelligemus; ac propterea templa, quum apud eos publici juris essent, & ea suos quoque defensores habuisse, qui scilicet curarent, ut ea sarta tecta haberentur, certum est. Defensio isthæc Censorum cohærebat officio ex lege Censoria, quæ secundum Festum hæc erat: *Porticum sartam, tectamque habeto*. Vide Livium *lib. IV. Cap. VIII.* & Ciceronem *lib. 3. de Legibus Cap. III.* qui Censoris officium commemorans hisce utitur verbis: *urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor*. Sed quando Censores creati tantummodo fuerunt anno ab urbe condita 310. cujus nam antea hoc officium defensionis tem-

plo.

plorum fuisse dicemus ? erat Ædilium, qui jam creati fuerunt anno Urbis conditæ 261. idque explicat Dionysius Halicarn. *lib. VI. Cap.* 90. Ædiles autem isti non in urbe tantum, sed & in Municipiis, quo ædium præcipue sacrarum diligentissimam curam haberent, constituti fuerunt.

Hæc Romanorum disciplina quum post Constantinum M. qui Ecclesiæ pacem, libertatemque dedit, in Christiana Republica obtinuerit, templa scilicet Christianorum, quæ olim juris erant privati, facta publici juris fuerint, interesse propterea statim visum est, ut & ea sarta tecta haberentur. Sed quibus nam hoc onus incumbat, non ineleganter quæritur. Primis porro Ecclesiæ Sæculis, quibus Ecclesiarum restauratio eximiæ quoddam pietatis genus habebatur, Principes ipsi hocce onus suum sibi faciebant; imo pro hocce subeundo inter se se certasse historia commonstrat; hinc Constantinus Magnus, ut pecunia publica, seu Fiscalis in hunce restaurationis usum converteretur, decrevit, eo ferme modo, quo fieri apud Gentiles consueverat; etenim ex reditibus publicis ædes sacras restaurari consuevisse constat ex *l.* 18. §. 5. & 10. *de muner.* & ex Cicerone *lib.* 3. *Epist.* 2. Cæterum hanc Eccle-

siarum

ſiarum refectionem, quam Conſtantinus ſibi impoſuit non ad onus, officiumque neceſſarium, ſed potius ad liberalitatem nullo jure cogente factam, referendam exiſtimo. Neſcio autem an liberalitas a quopiam facta obligare ſucceſſores poſſit, ſic ut quoniam eam exercuit Conſtantinus, & ſucceſſores ejus eam exercere adſtringantur. Succincte ergo de iis, qui vere huic oneri ex neceſſitate ſunt obnoxii, loquamur.

Itaque in primis ad Eccleſiæ reparationem tenentur ii, qui forte dederint ruinæ cauſſam; id & ratio expoſcit, & æquitas. Tenentur deinde, quos Tridentinum Concilium enumerat in *Seſſ.* 21. *cap.* 7. *de reform.* Diſtincte tamen procedamus.

Docet recta ratio, nemini regulariter hoc onus imponi poſſe, niſi ipſius rei reficiendæ Domino; ſicut enim omne ex ea commodum ſentit, eamque in ſuos uſus convertit, ita quoque hoc onus, quod ejus rei reſpicit conſervationem, ſuſtinere tenetur. Quid ergo? hoc onus ad Univerſitatem Eccleſiæ, in cujus patrimonio quoquomodo templa conſiſtunt, pertinere evidentiſſime ſequitur; ſequitur, refectionem ex Eccleſiæ reditibus faciendam; & quando hoſce Eccleſiæ reditus adminiſtrare Epiſco-

porum olim munus erat, hinc ad eos hoc jus non tamen redituum quantitate pro Ecclesiarum refectione impendendorum determinata, spectasse certum est. Sed quoniam persæpe contingebat, ut redituum Ecclesiasticorum administratio ab Episcopis non satis prudenter, non satis œconomice fieret, contingeretque, ut sufficiens Ecclesiasticorum redituum quantitas in fabricarum restauratione non impenderetur, immo & Clerici minores non satis æquam portionem ab Episcopo acciperent, sicque sæpissime mendicare tenerentur; sed & pauperes negligerentur, reditibus perverse in proprium usum consumptis, ut certa necessario adsignaretur pro restauratione Ecclesiarum ex reditibus portio, æquum visum est; visum est æquum, ut & certa portio Clericis, certa portio pauperibus tribueretur. Nimirum, ut quatuor fierent portiones decretum est; nempe ut prima Ecclesiarum fabricæ inserviret, altera tribueretur pauperibus, tertia Clericis, quarta denique cederet Episcopis. Non diu tamen bonorum redituumve isthæc divisio duravit; pedetentim enim consenuit, & uti omnes norunt hac potissimum de caussa, quod nonnulli Episcopi avaritiæ labe ducti portionem fabricæ destinatam in privatum,

pro-

propriumque usum converterent, indeque f.-ctum, ut Episcopis hujusce portionis custodia erepta, tributaque Parochis fuerit. Hujusce avaritiæ labis mentionem faciunt Patres Concilii Toletani IV. anno 633. celebrati *cap. 33.* apud Harduinum *tom. III. Concil. pag. 587. avaritia* (sunt eadem verba) *radix cunctorum malorum; cujus sitis etiam Sacerdotum mentes obtinet; multi enim fidelium in amore Christi, & Martyrum in Parochiis Episcoporum basilicas construunt, oblationes conscribunt; Sacerdotes hac auferunt, atque in usus suos convertunt, ... inde labentium Basilicarum ruina non reparantur, quia avaritia Sacerdotali omnia auferuntur, pro qua re constitutum est a præsenti Concilio, Episcopos ita diœceses suas regere ut nihil jure præsumant auferre*. Sed res hic non stetit; iterum enim faciem mutavit suam, aliaque disciplina, quæ eleganter a Thomassino describitur, inducta fuit.

Quidquid tamen de hac re sit, quamvis hodie ea bonorum amplius non vigeat divisio, tamen si quæ bona aut a jure, aut ab homine pro reparatione Ecclesiarum deputentur, ea non sunt in alium usum convertenda.

Hæc autem si nulla pro Ecclesiarum reparatione deputentur, tenebuntur in primis ex-

H 2 Con-

Concilio Tridentino *seff. 21. Cap. 7.* Patroni ; respexit nimirum Tridentinum Concilium ad juris regulam, quæ suadet, ut quilibet Dominus reficere rem suam teneatur. Secundo, si ii desint, tenebuntur Parochi, ipsique beneficiati ex Concilio Tridentino eodem loco ; & recte ; quum enim secundum antiqui Juris regulas iis hoc onus cohæreret ; æquum profecto Patres, hocce in casu, nempe si desint Patroni, ab iis qui tandem omnes reditus suos faciunt, reficiendas Ecclesias esse duxerunt ; quod si eorum reditus tanti non sint, ut Ecclesiæ refectioni sufficiant, ex eodem Concilio in subsidium Parochiani tenentur.

De erectione, consecratione, restauratione que Ecclesiarum me pauca dixisse (quod tamen fini nobis proposito congruit) scio ; hisce tamen poteris paratus vel ad gravissimas quæstiones definiendas accedere.

De

De iis rebus, quas hominibus ob Divini Numinis considerationem præstamus, ideſt

---

De Decimis, & Oblationibus

CAPUT SECUNDUM

SI omnes cultæ gentes hoc ſibi ſemper habuere propoſitum, ut eos, qui publicam Civilis Reipublicæ utilitatem, ac commodum promoverent, præmiis, ſtipendiiſque allicerent, Romani præcipue, cujus rei evidentiſſima in Hiſtoriæ Romanæ faſtis exempla occurrunt; quare certa ſtipendia Illi, qui publicam Eccleſiæ utilitatem, cultumque divinum promovent, non merebunt, præcipue quum ex Doctrina Pauli I. Corinth. IX. & Timot. V. v. 17. omnis operarius dignus ſit mercede ſua? De oblationibus loquor, & decimis primitiiſque quamdam ſtipendii ſpeciem præſeferentibus, de quibus nunc ſum, re a decimis cæpta, diſputaturus.

 Quot-

Quotquot porro primam decimarum originem investigare conati sunt, sunt fere omnes, perpaucis exceptis, in errorem dilapsi: est tamen res facillima: quum enim ante legem Mosaicam Abrahamum Melchisedeko Regi pariter, ac Sacerdoti Dei Altissimi spoliorum primitias dedisse enarret Moyses *Gen. XIV.* 18. quis ab eo tempore primam decimarum originem repetendam esse non videt?

Decimæ, si vim nominis inspiciamus, nil aliud sunt, quam *decima cujusque rei pars, qua deducta, novem supersunt;* quapropter vel milites, cum propter seditionem, aliudque commissum facinus exercitus, vel cohortis decimus quisque ad supplicium eligitur, decimari ex Livio *lib.* 2. dicuntur.

Si verum est quod traditur in *l. si quis rem* §. 2. *ff. de pollicit.* in denario numero symbolicæ perfectionis mysterium contineri, quod & apud Varronem *lib.* 7. *de lingua latina*, & apud Marsilium Ficinum in *Dialogum Platonis de justo* legitur, a quo non longe abest Philo Judæus *lib. de congress. quærend. erudit. grat.* adeo ut propterea plurimum illi antiquitas detulerit teste Ovid. in Fastis:

Annus erat decimus, cum Luna receperat orbem
Qui numerus magno tunc in honore fuit.

Si,

Si, inquam, id verum, hac forsan de caussa ea bonorum portio, quæ ad usum pietatis fieret, consecrarique ob Religionem quamdam soleret, ut decima esset, constitutum fuit; hac forsan de caussa ex Lege Mosaica, ut decima portio Sacerdotibus, & Levitis præstaretur, præceptum est; hac forsan de caussa & apud Ethnicos hanc portionem obtinuisse dicendum videtur; & forsan hac etiam de caussa ea portio, quæ Sacris administris conceditur, utut aut etiam duodecima sit, aut quindecima; aut etiam minor, etiam nunc Decima Ecclesiastica, ob id quod in locum ejus, quæ Levitis præstaretur, subrogata est, nominatur.

Cæterum si non vim nominis decimarum, sed earum naturam, quæ ex vera earum definitione dignoscitur, consideremus, ita describi potest, ut nihil aliud sit, quam *quota pars bonorum omnium legitime quæsitorum, quæ ob Divini Numinis considerationem Ecclesiasticis personis ad eas alendas datur propter Sacrum, ac Spirituale Ministerium*: dicitur *quota pars*, ut eam esse sine certa finitione constet; ea namque pro diversis, variisque moribus diversa est & varia; additur *omnium bonorum*; rectissime; quum enim, dum erogantur decimæ, quo-

dammodo Divini Numinis, qui necessaria vitæ nobis indulsit, beneficium prædicetur; hæc autem memoris animi testificatio in omnibus patefacienda sit, erogandas propterea de omnibus rebus decimas esse quis non videat? Si tamen contigerit, ut ex bonis nonnulla illegitime parta sint, ex hisce nullæ deducendæ decimæ sunt. Ergo si quæ bona ex usuris, quæstuque Simoniaco fluxerint, ex hisce decimæ nullæ deducentur. Huc ergo spectant quæ verba in definitione sequuntur, *legitime quæsitorum*; Utrum tamen sumptus in res decimationi subjectas facti, anteaquam decimæ solvantur, deducendi sint, quæritur. Placet hic distinctionem inter decimas prædiales, & personales inire: prædiales a Pontificiis vocantur eæ, quæ ratione prædiorum, ex eorumque proventibus debentur; itaque dantur ex fœno, lignis, fructibus; quos arbores producunt, item ex obventionibus Molendinorum; compendiisque locatarum rerum, aliisque hujusmodi, *Cap. plerique de pactis cap. 4. 33. & passim hoc tit.* Personales vero sunt, quæ ex lucro, & ex cujusque industria, ex. gr. artificio, commercio, militia, literarumque professione comparantur. Porro si de decimis realibus agatur, ob impensas nequaquam certe mi-

nuun-

nuuntur, nullaque earum ratio habenda videtur; id Pontifices, id Concilia decreverunt; at si de personalibus sermo sit, iisdem Conciliis, sumptus visum est habendam esse rationem; tanti inter hasce decimas discriminis hæc ratio est; nimirum quum reales decimæ in prædiorum fructibus consistant, in fructu autem naturaliter esse intelligantur quæcumque ex re ipsa, corporeque, sumptuum computatione non inita, proveniunt, decimas hasce ob impensas minuendas nequaquam esse, quis non videt? Scio passim adferri fructus, nisi deducta impensa, non dici *l. 7. soluto Matrim. l. 46. de usuris, l. 1. cod. de fructibus & lit. expens.* Sed hoc mera est civilis juris subtilitas, quam sæpissime Jus Pontificium nescit; at vero decimæ personales quum ex lucris, quæstibusque trahantur, lucrum autem non sit, ut ne naturalem ipsam simplicitatem contemplemur, nisi omni damno deducto *l. 30. ff. pro Socio.* quid ni in hisce tradendis erunt necessarii sumptus facti detrahendi? Elegans autem, validumque ad fidem in hacce re faciendam argumentum est, quo utitur Innocentius III. *in Cap. 26. hoc tit.* hoc videre per otium belle poteris. Jam vero ex hisce liquet quid sibi velint adjecta in definitione verba *ob divini Numinis considerationem;*

nem; ſequuntur hæc alia, *Eccleſiaſticis perſonis ad eas alendas datur propter Sacrum, ac Spirituale Miniſterium*. Verba certe, quæ decimarum præſtationis finem commonſtrant: eæ nimirum præſtantur, ut perſonæ, quæ ſunt Eccleſiaſticis muneribus mancipatæ, habeant ex decimis alimenta, nam qui altari ſerviunt, de altari vivere debent; omniſque operarius eſt ſua mercede dignus. *Can. unico cauſſa* 13. *q.* 1. *cap.* 10. *de vita, & honeſt. Cleric.*

Quidquid ſit de ea quæſtione, an Judæi, & Pagani, qui prædia poſſident, prædiales, realeſve decimas teneantur præſtare, nec ne; Chriſtianos certe huic oneri obnoxios eſſe certum eſt. Sunt enim iſti, qui a Miniſtris Eccleſiaſticis pabulum vitæ, & diſciplinæ accipiunt; ſunt iſti, qui ab iis in illis, quæ ad Pietatem Chriſtianam conducunt, erudiuntur; ſunt iſti, quibus ab iis media, quibus tutiſſime poſſint ad felicem Æternæ Beatitudinis portum contendere, commonſtrantur.

Sunt autem iſtæ decimæ non de conſilio, ſed præcepto; ſed an juris Divini, quæritur: perpauci certe quæſtionem hanc concinne, & uti par eſt, definierunt; remque adeo confuſe explicuerunt, ut ſi, an huic potius, quam illi adhærendum eſſet, vellemus ſcrutari, quid

nobis

nobis esset concilii capiendum, penitus ignoraremus. Itaque, ut, quod ipse sentio, aperiam, multum referre puto, utrum decimas solvendas per se consideremus, an vero eas ad necessitates Sacerdotum, qui scilicet iis necessario ad vitam vivendam egent, referamus. Porro si eas per se consideremus, non Divini, sed Juris Pontificii esse definimus; equidenim? in toto Evangelicæ Legis edicto nullum extat de solutione decimarum præceptum. Fateor, ita legimus apud Matthæum Cap. 23. *væ vobis, qui decimatis Mentham . . . . hæc oportuit facere, & alia non omittere;* sed hæc a Redemptore nostro verba expressa non in futurum, sed in præteritum tempus, tempus scilicet Mosaicæ legis, fuere directa, fuere directa versus Scribas, & Pharisæos; & quando lex Mosaica, Vetusque Testamentum amplius non viget, sive illud cæremoniale, sive judiciale concipiamus juxta D. Pauli *ad Galatas Capite tertio* phrasim, nihil inde contra nos posse evinci, manifestissime liquet. Posses opponere, in lege Mosaica certa etiam moralia capita contineri; opponere posses, moralia in suo robore perdurare; quia æquitati naturali, rationi, morumque disciplinæ conveniunt; opponere posses, decimarum solvendarum præceptum mo-

rale

tale fuisse, proindeque & nunc eodem jure, quo adstringebat Judæos, jure nempe Divino adstringere & nunc Christianos. Sed hæc difficultas evanescet, si illud præceptum omni modo morale non esse consideremus; si namque tale illud esset, etiam ante promulgatas Moysis leges obligasset, & tamen Abrahamum solummodo de hostium spoliis decimas rependisse legitur; legitur eas quoque dedisse Jacobum, sed ex voto, quod fuerat sponte emissum *Genes. XXVIII.* At vero si eas ad Sacerdotum necessitates, qui scilicet necessario decimis ad vivendum egent, referamus, simplicissimo argumento juris esse Divini constat. Tunc enim cadit illud Evangelicæ Legis præceptum, alimenta iis esse præstanda, qui spiritus, animæque nostræ curam gerunt, nosque nutriunt pabulo vitæ, & disciplinæ, dicente Paulo I. ad Corinth. Cap. IX. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus? . . . . . Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant? ita & dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Hinc juxta hanc distinctionem facile Capituli XXXII. h. t. sensus, ubi summus Pontifex ait: *illa quippe decima*

cimæ necessario sunt solvendæ, quæ debentur ex lege divina, intelligitur.

Olim decimæ, quæ ad universum Ecclesiasticum ordinem pertinebant, uni tamen Episcopo committebantur; at post quam Sacerdotia sub titulo, & nomine beneficiorum instituta sunt, & reditus singulis attributi, decimæ iis cesserunt Ecclesiis, in quibus Baptisma conferebatur, plebibus Sacramenta administrabantur, mortuorumque humatio, exequiæque fiebant, quas scilicet vulgo Parœciales, & aliquando Baptismales vocamus *Can. de decimis, & Can. statuimus cauf. 16. quæst. 1. cap. plerumque de pactis Cap. 1. de reb. Ecclesiæ non alienandis in* 6. sed multæ subinde ex iis ad monasteria a laicis devolutæ fuerunt; id quomodo factum sit paucis ostendam. Ostendam in primis, eas aut absolute Clericis fuisse negatas, aut eas ob Clericorum donationem retentas; ostendam Laicos, ubi ad eas Clericis dandas fuerunt compulsi, eas potius Monasteriis, quam Clericis maluisse concedere.

Itaque in primis decimarum retentionis, quam licitam sibi faciebant laici, causa duplex fuit. Prima ad violentam earum occupationem, retentionemque refertur: tales namque tantæque olim erant temporis calamitates,

tes, ut a Laicis Ecclesiastica bona pro lubitu tractarentur; talia erant Ecclesiæ infortunia, ut laici etiam Clericorum decimas tum eorumdem sustentationi, tum pauperum usibus, tum templorum tutelæ destinatas, pro lubitu in proprium usum, compendiumque converterent, vel profanis hominibus sub conditione operarum præstandarum tribuerent, ac propterea ad summam mendicitatem maximam Clericorum partem, cui unica decimarum perceptio unicum erat vitæ suæ subsidium, redigerent; quapropter non immerito Concilii Confluentini Patres laicos decimas usurpantes, & invadentes ingentem potius canum turbam, suasque gynæciarias, quam presbyteros, qui Deo, qui Ecclesiæ, qui Christiano populo famulatum præstabant, alere conquesti sunt. Possem huc passim varios de hacce re Canones adferre; Canones scilicet Concilii Aquisgranensis sub Pipino, Canonem II. Concilii Toletani I. Epistolam primam Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem; possem alias, & Conciliorum, & Pontificum querelas proferre, sed eas, ut brevitati studeam, prætereundas duco. Cæterum, ut verum fatear, huic decimarum retentioni Clerici ipsi caussam dederunt: vel tunc enim Clericis dulcissimam

vive-

vivere vitam placebat, placebat tædiosissimam per otium vitam traducere, placebat ludis, spectaculisque interesse, sicque Ecclesiasticam substantiam dissipare; id nimirum quum laicis creasset invidiam, tanti fuit, ut iis decimas pedetentim denegarint. Hæc autem denegatio præstandi scilicet Ecclesiasticis viris decimas secum decimarum donationem a Clericis factam, vel potius facultatem decimas colligendi in laicos collatam traxit, (& en secunda causa, qua decimis, quæ debebantur Clericis, fruerentur laici). Nimirum quum difficillima, ne dicam fere impossibilis esset decimarum exigendarum ratio, divinique cultus ministri se tanti non esse existimarent, ut res suas ipsi, decimas scilicet, defenderent, rem optimam potentiorum amicitiam sibi conciliare, ab iisque defensionem, auxiliumque petere deliberarunt. Utique, ut ipsi ab ipsis fundatoribus opem, auxiliumque peterent, oportebat; iis namque primario competit hoc defensionis munus; sed quoniam persæpe contingebat, ut fundator vi potestateque destitutus penitus esset, ut propterea non posset iis ne minimo quidem contra vim oppressionemque adjumento fore, iccirco ab ipsis Proceribus; auxilium, opemque petebant; ut autem facilius

lius eorum sibi amicitiam devincirent; cum iis ipsis bonorum Ecclesiasticorum, decimarumve divisionem paciscebantur; satius enim cum iis decimas dividere, quam tota substantia exui existimarunt; hæc porro agendi Clericorum ratio justissima fuit, duraque necessitas eos ad se ita gerendos impulit.

Quidquid tamen sit de hisce decimis, jure ne scilicet, an injuria fuerint a Laicis possessæ, varii certe ab Ecclesia canones, vi quorum non amplius decimæ in manus Laicorum caderent, constituti fuerunt, eoque usque progressi sunt, ut laicis aliter facientibus sepulturæ officium denegarint; vide *Cap. 19. hoc tit.* Sed hæc omnia frustra; utique nonnulli decimas restituerunt, sed eas non Sacerdotibus, non Episcopis, non Clericis, sed Monasteriis maluerunt concedere. Viderant nimirum laici, Clericorum vitam tunc temporis profligatissimam esse, Monachos e converso vitam sanctissimam, disciplinæque Ecclesiasticæ apprime conformem vivere. Accedebat summa tunc temporis in laicis fundandi, dotandique Monasteria cupido; ut sic eorum nomen perpetuo viveret, redderetur que immortale. Accedebant instantes, importunæque Monachorum preces, qui hoc dotationis fundationisque

nisque opus tam egregium pingebant, ut & ad Deum demerendum, & peccatorum remissionem impetrandam plurimum posse decantarent. Accedebat Monachorum persuasio adfirmantium scilicet suarum Congregationum suffragia ad fundatorum, benefactorumque animas e purgatorii pœnis liberandas aptissima esse. Scio pluribus in Synodis decretum, ut & Monasteriis concedi decimæ non possent, & Monasteria eas non possent accipere; sed scio etiam notis de caussis, quas qui historiam callent Ecclesiasticam norunt, hasce Synodos non fuisse factas sui compotes voti.

Caveant tamen (monet hic Van-Espen) Monasteriorum decimas possidentium præpositi ne decimas, quæ stipendia Presbyterorum sunt, adeo sibi approprient, ut parochi, ii præcipue, in quorum parochia ea Monasteria sita sunt, egeant, ac honesta sustentatione spolientur; tollunt enim memores, decimas parochis de jure competere, quod dici certe de Monasteriis non potest; ipsis enim non de jure, sed ex Laicorum (quod tamen facere non licebat) largitione competunt.

Sed ne plura de decimis dicam, en quæ pauca dici de oblationibus, primitiisque possunt. Primitiæ nil aliud sunt, quam primæ fru-

ctuum obventiones, ex. gr. primi animalium fœtus, primi fructus de terra ad culturam redacta, primaque de fructibus singulorum annorum commoda: hæ altissimam habent originem; etenim apud Hebræos, & apud Gentiles maximo eas in pretio fuisse, nemo nescit; isti namque quoddam Religionis, gratitudinisque nostræ erga Deum, quæ terra produxerit, eorum primitias aut Deo, aut ejus ministris, qui Divinum cultum promovebant, elargiri, specimen esse noverunt. Olim apud Christianos, temporibus scilicet antiquissimis, quibus Christiana pietas fervebat, frequentissimæ istæ fuerunt. Sed paulatim pro modo, quo pietas tepescebat, imminutæ, ac tandem, ubi singulis ministris stabilia beneficia fuerunt assignata, omnino cessarunt. Oblationes sunt *rerum rerum præstationes, quæ in usus communes citra necessitatem conferuntur*: quapropter apocrypha eorum est opinio, qui oblationum præstandarum necessitatem eo in casu agnoscunt, quo eæ per longum temporis intervallum ex usu inveterato, multorumque annorum legitime præscripta consuetudine fuerint perceptæ; etenim oblationes sui natura voluntariam præstationem continent, talesve sunt, ut donantium arbitrio, & liberalitati relinquantur. Ex-

 cipio

cipio tamen necessitatis Sacerdotum casum ; etenim tunc juris vinculum, moralisque ratio quidquiam elargiendi ad eorum sustentationem, egestatemque sublevandam subest.

Hæ oblationes & primis etiam Christianorum temporibus frequentissimæ erant ; tepescente autem eorumdem fervore ; sensim sine sensu minus factæ frequenter fuerunt ; eoque usque res progressa, ut fere omnino cessarint.

De Personis Ecclesiasticis, quæ Divinum Cultum promovere tenentur

DISSERTATIO II.

QUam misera, ac vere infelix humani generis conditio sit, norunt omnes; hæc infelicitas ex corrupta humana natura, cui caussam protoparentis peccatum dedit, enascitur; quid hæc corruptio operetur, id nos ipsi videmus. Jam enim homines quum pravis animi motibus ex corrupta natura generatis ducantur, ad sensibilia proclives injustitiam ap-

petunt, atque sequuntur. Sed Deus O. M. summa sua benignitate viam, qua facile ad justitiam possimus injustitiæ immemores pervenire, commonstravit; commonstravit, in quonam universa justitia consisteret, nempe eam ad duo tantummodo capita facile reduci; primum ad amorem Dei, ejusque cultum, alterum ad dilectionem proximi, eumque velut fratrem nostrum considerandum; hæc autem Fraternitas id efficit, ut stricta necessitudine jungamur, quam qui spernat, injustus sit. Sed hæc necessitudo, hæc dilectio quid aliud exposcit, nisi ut eum in rebus necessariis adjuvemus? Loquor de iis rebus necessariis, quibus ad vitam beatam, æternamque Beatitudinem comparandam egemus; hæc autem proximi nostri dilectio, non jam de consilio, sed de præcepto existimanda est, sic ut qui hance violet, gravissimi coram Deo criminis conscius reputetur. Quamquam vero hæc duo justitiæ præcepta Christianos omnes adstringant, ad eos tamen potissimum, qui gregi Christi pascendo, nutriendoque pabulo vitæ, & disciplinæ præfecti sunt, pertinent: dico viros Ecclesiasticos, dicos Episcopos, inter quos summus Pontifex primariam frontem tenet, dico Sacerdotes, dico Parochos, aliosque Ministros; de qui-

quibus nunc, ut ordinate procedamus, præmissis tamen quibusdam de vita & honestate eorum, disputandum occurrit.

De vita, & honestate Ecclesiasticorum

CAPUT PRIMUM.

HOmines non sibi tantum, sed aliis etiam natos esse tritissimum adagium est; itaque tamquam sibi nati propriæ utilitati consulent, tamquam nati aliis consulent utilitati aliorum. Hoc porro etsi hominibus omnibus commune sit, præcipue tamen ad viros pertinet Ecclesiasticos: eorum itaque officium duplex; respicit unum utilitatem propriam, respicit alterum utilitatem aliorum; non loquor hic de ea utilitate, quæ terrena est, & temporaria; de ea loquor, quæ ad æternam felicitatem, sempiternamque vitam traducit; tunc autem utilitatem propriam promovebunt, si vitam honestam, idest secundum legum tum Ecclesiasticarum, tum Divinarum normam traducant; utilitati vero aliorum consulent, si

 eos

eos & Divina, & Ecclesiastica præcepta edoceant; tradantque modos, quibus tutissimi viam virtutis, veritatisque terant, legumque violatores coerceant, quo alii territi pessimum eorum exemplum non sequantur. De hoc duplici officio ut disputemus, in disquisitione vitæ, & honestatis Clericorum, quæ ad primum eorum Officium pertinet, immorabimur; ea deinceps, quæ de altero dici officio possunt, quando scilicet de Personis Ecclesiasticis singillatim disputabimus, scutaturi.

Hominis porro officium esse honestam vivere vitam vel Ethnici ipsi judicarunt; en quid Cicero de Officiis lib. 1. Cap. xxxiv. *Omnis autem actio vacare debet temeritate, & negligentia, nec vero agi quidquam, cujus non possis causam probabilem reddere.... efficiendum est autem, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, nec propter temeritatem, nec propter pigritiam, aut ignaviam deserant, sintque tranquilli atque omni perturbatione animi careant, ex quo elucebit omnis constantia, omnisque moderatio; nam qui appetitus longius evagantur, & tamquam exultantes sive cupiendo, sive fugiendo non satis a ratione retinentur, hi sine dubio finem, & modum transeunt; relinquunt enim, & abjiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui sunt subjecti*

lege

lege Naturæ. Quid aliud Seneca in Epist. XVIII.? quid aliud Plato lib. XIII. de scientia? quid Xenophon? quid Plutarchus, Ethnici omnes? aliter ne forte existimabunt Christiani, potissimumque Clerici? ipsi ne forte id, quod honestum est, fugiendum esse; vitamque honestam parvi faciendam existimabunt? Contemplentur quæso quomodo id sit unice bonum, quod honestum est, quomodo ea, quæ non sunt honesta, minime bona sint; contemplentur quomodo ea, quæ forte præter honestum quis bona judicat, secum trahant mœrorem, quomodo sollicitudinem, quomodo metum, quomodo cruciatum, uti apposite adnotavit Seneca in *Epist.* 74. *quid ni* (ipse ait) *putes, unum bonum esse, quod honestum est? qui enim bonum honesto circumscripsit, intra se felix est; nam qui alia bona judicat, in fortunæ venit potestatem, alieni arbitrii fit; hic amissis liberis mœstus, hic sollicitus agris, hic ... aliquam infamiam passus tristis, illum videbis alienæ uxoris amore cruciari, illum, ... quem repulsa distorqueat; erunt, quos honor ipse vexet.*

Omne porro, quod honestum est, ex quatuor fontibus oritur; aut enim in perspicientia veri, solertiaque versatur, quo prudentiam referimus; aut in tribuendo cuique suum, quo re-

referimus justitiam; aut in animi excelsi, ac invicti magnitudine, ac robore, aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine, & modo, quo fortitudinem, & temperantiam referimus. Hæc certe omnia ad munus, officiumve Ecclesiasticorum virorum referenda putamus.

Ex hisce tamen quatuor locis, ex quibus derivatur honestum, principem tenere locum videtur ille, qui in cognitione veri, solertiaque versatur, eaque sequenda consistit; nam, ut ait Cicero de Officiis lib. I. cap. VI. *ille maxime naturam attingit humanam, omnes enim trahimur ad cognitionis, & scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, nescire, decipi & malum, & turpe dicimus*. Phrasis certe Cicerone dignissima, cui si aliam adjiciam, nil certius existimandum puto: homo nimirum Christianus ad æternam beatitudinem, felicitatemque destinatus est; ad hanc pervenire non potest, nisi veritatis viam sequatur; hanc viam, nisi ejus antea lucidissimam veritatis cognitionem habeat, terere nequaquam potest, & quando in æterna Beatitudine, ac felicitate summum hominis bonum consistit, ea certe via (dico veritatis cognitio) quæ ad hoc summum bonum conducit,

ducit, principem quid ni tenebit locum? Obſerves tamen, quæſo, quomodo olim magno, & excellenti ingenio viri, quum ſe ſe doctrinæ penitus dedidiſſent, quidquid labori poterat impendi, contemptis omnibus, & publicis, & privatis actionibus ad inquirendæ veritatis ſtudium contulerint, exiſtimantes, multo eſſe præclarius humanarum, divinarumque rerum inveſtigare, ac ſcire rationem, quam aut ſtruendis opibus, aut cumulandis honoribus inhærere; quibus rebus, quoniam fragiles, terrenæque ſunt, & ad ſolius corporis pertinent cultum, nemo melior, nemo juſtior fieri poteſt. Erant illi quidem veritatis cognitione digniſſimi, quam ſcire tantopere cupiverunt, atque ita, ut eam rebus omnibus anteponerent; nam & abjeciſſe quoſdam res familiares ſuas, & renunciaſſe univerſis voluptatibus conſtat, ut ſolam, nudamque virtutem nudi, expeditique ſequerentur; tantumque apud eos virtutis nomen, & auctoritas valuit, ut in ipſa ſummi boni præmium eſſe judicarent. Sed neque adepti ſunt, quod ipſi volebant, & operam ſimul, & induſtriam perdiderunt. At obſerves etiam, quomodo Deus O. M. miſeratione ſua humano generi cæcutienti, oberrantique tenebris denſiſſimis, ulloque ſine laboris fructu vaganti

ocu-

oculos requirenti lumen Sapientiæ aperuerit, veritatem commonstraverit, ejusque notionem munus, ac beneficium fecerit suum; hanc porro spernere si laico homini dedecus, Ecclesiastico nefas est. Quamquam; *proh dolor!* exclamat Lactantius *de falsa Relig. lib. 1. quam pauci utuntur hoc cœlesti beneficio, ac munere, & veritatis cognitio vel contemptui doctis est, quia idoneis assertionibus eget, vel odio indoctis ob insitam sibi austeritatem, quam natura hominum proclivis in vitia pati non potest; nam quia virtutibus amaritudo permixta est, vitia vero voluptate condita sunt, illa offensi, hac deliniti feruntur in præceps; ac bonorum specie falsi mala pro bonis amplectuntur.* Siccine lucidissima veritatis lux densissimis illecebrarum tenebris postponitur? Siccine ea spernitur disciplina, quæ ad cultum veræ Majestatis mentes hominum instruit, atque ad bene, beateque vivendum conducit? Siccine, ea seposita, seliguntur illa, quæ caduca, quæ fragilia sunt, ac turpia? ergo, Clerice, quicumque tandem sis, ad cognitionem veri quasi ad portum aliquem tutissimum te conferas, in quo omnia dictu prona sunt, auditu suavia, facilia intellectu, honesta susceptu; & ubi ad ejus cognitionem sacrarum præsertim literarum subsidio perveneris, tuum

esse

esse scias veritatis viam populum tibi a Christo commissum docere; eamque ei, ut & ipse se illi tradat, monstrare; scias, te nullo praetextu posse ab hac obligatione subducere, excitandi scilicet populum ad veritatem, veramque Religionem sequendam, qua sublata, nec sapientiam teneri posse dicimus, nec justitiam; detracta autem justitia vel ad stultitiam pecudum, amissa ratione, vel ad bestiarum immanitatem devolvimur.

Dicam nunc de justitia, ex qua honestum oritur. Duas esse humanae vitae vias norunt Poetae, norunt etiam Philosophi. Sed eas diverso modo induxerunt: Philosophi alteram industriae, alteram inertiae esse voluerunt; sed minus recte, cum eas ad solius vitae commoda retulerint: Poetae vero alteram justorum, alteram impiorum esse dixerunt; melius certe quam Philosophi; verum peccant in eo, quod eas apud inferos esse ajunt; nos utique rectius, qui alteram vitae, alteram mortis viam, non tamen apud inferos esse dicimus, sed illa dexterior, qua qui justi sunt, non in Elysium feruntur sed in Coelum, immortales enim fiunt; sinistrior ad Tartarum ducit, aeternis enim injusti cruciatibus addicuntur. Veneranda ergo est a nobis justitiae via, quae ducit ad

vi-

vitam ; primum autem justitiæ officium est. Deum cognoscere ut parentem, eumque metuere ut Dominum, diligere ut Patrem; is enim est, qui nos genuit, qui vitali spiritu animavit, qui alit, qui salvos facit; unde illi ab homine duplex honor, amor scilicet cum timore debetur; ut vere scripserit Lactantius Divinarum Instit. Epitome de justitia Cap. I. *Si justitia est veri Dei cultus, quid tam justum ad æquitatem, tam pium ad honorem, tam necessarium ad salutem, quam Deum cognoscere ut Parentem, venerari ut Dominum, ejusque legi aut præceptis* obtemperare? Indeque est, quod ex eo tempore, quo multi Dii consecrari ab hominibus, colique cæperunt, fugata est, sicut Poetæ ajunt, justitia; sic diremptum est omne fœdus, dirempta societas juris humani, cæpitque sibi quisque consulere, jus in viribus computare, nocere invicem, fraudibus aggredi, dolis circumscribere, commoda sua aliorum incommodis adaugere, non cognatis, non liberis, non parentibus parcere, ad necem hominum pocula veneno temperare, obsidere cum ferro vias; maria infestare, libidini autem, quo furor traxerit, frœna laxare, nihil denique sancti habere, quod infanda cupiditas non violaret. Quamquam, dum hæc fierent, leges

sibi

ſibi homines condiderunt pro utilitate communi, ut ſe interea tutos ab hominum injuriis facerent; ſed metus legum non ſcelera comprimebat, ſed ſubmovebat licentiam; poterant enim leges delicta punire, conſcientiam punire non poterant; itaque, quæ antea palam fiebant, clam fieri cæperunt. Cæperunt etiam jura ipſa circumſcribi: ipſi enim præſides, ac legum cuſtodes præmiis, muneribuſque corrupti, vel in remunerationem malorum, vel juſtorum perniciem ſententias venditabant. His accedebant diſſenſiones, & bella, & mutuæ deprædationes, & oppreſſis legibus ſæviendi poteſtas.

Alterum juſtitiæ officium eſt hominem velut fratrem agnoſcere: ſi enim idem Deus homines fecit, & univerſos ad Juſtitiam, & ad vitam æternam pari conditione generavit, fraterna utique neceſſitudine cohæremus, quam ſi non agnoſcas, injuſtus eris.

Hæc duo juſtitiæ officia Chriſtianis univerſis impoſuit utique Chriſtus, ſed iis preſertim, qui in ſortem Domini vocati ſunt; de Clericis loquor, qui divinis ſunt officiis mancipati; eorum eſt, quæ ad cultum divinum conducunt, ſponte peragere, ſuoque exemplo, & Doctrina efficere, ut & peragantur ab aliis;

co-

eorum est, ut videant, ne faciant ulli, quod pati nolunt; alterius namque animum a suo metiantur. Si acerbum est injuriam ferre, adeo ut qui eam fecerit, videatur injustus, transferant in alterius personam, quod in se sentiunt, & in suam quod in altero judicant, & bellissime intelligent, tam se injusta facere, si noceant alteri, quam alterum, si sibi. Hæc certe si mente volvunt, innocentiam tenebunt, in qua justitia velut in primo gradu consistit. Primus est enim non nocere, sed officiose prodesse, utut noceant nobis; hoc est præceptum Christi; hoc, quod ignorabant Ethnici vera Religione destituti; nam ait Cicero de Off. Cap. VI. *Sed Justitiæ primum officium esse, ut nemini quis noceat nisi lacessitus injuria.*

Ad virtutem nunc me refero fortitudinis; & primo quidem, in quo nam hæcce consistat, definiendum est. Homo porro ex duabus rebus constat, corpore atque anima, quorum alterum terrenum est, alterum vero cœleste; duæ vitæ homini attributæ sunt, temporalis una, quæ mortali corpori assignatur, spiritualis altera, ac sempiterna, quæ animæ subjacet; illam nascendo accepimus, hanc assequimur laborando, ne immortalitas, quæ ma-

gnum

gnum Dei, O. M, præmium est, homini sine ulla constet difficultate. Illa terrena est, sicut corpus terrenum, & quemadmodum corpus finit, finit & illa; hæc vero cœlestis sicut anima; & quando non habet anima finem, neque hæc finem ullum habebit. Illam primum nescientes accepimus; hanc accipimus scientes, & volentes, virtuti enim non naturæ datur; voluit enim Deus, nos vitam nobis in vita comparare, ita ut hanc præsentem dederit, ut illam veram, ac sempiternam aut vitiis amittamus, aut virtute mereamur. In hac corporali non est summum bonum, quippe quæ sicuti necessitate divina nobis data est, ita rursus divina necessitate solvitur. Qui enim fieri potest, ut quod finem habet, ac solvitur, summum bonum contineat? in illa ergo, quæ spiritualis est, quamque per nos aquirimus, summum bonum continetur. Corpus, & anima, licet sint in homine consociata, contraria tamen sunt, & pugnant invicem, ita ut animi bona sint mala corporis, opum scilicet, divitiarumve fuga, ac voluptatum interdictio; bona autem corporis mala sint animi, idest cupiditas, & libido, quibus & appetuntur opes & variarum voluptatum suavitates, atque dulcedines, quibus enervatus animus ex-

tin-

tinguitur; quod si verum sit, ut utramque vitam, cujus una corpori, cujus altera animæ assignatur, una pugnans cum altera, vivere non possit homo; itaque si temporalem vitam optes, spiritualem vitam non habebis, si optes spiritualem, contemnas temporalem vitam, quæque ejus superfluis inserviunt commodis necessum est, spernas corporis voluptates, quas dixi animi mala; atque in hoc demum ea, de qua loquor, excelsi animi cernitur fortitudo. Neque vero est, cur eo aliquis confugiat, ut dicat, ad ejus culpam, qui & bona instituit animi, & mala, pertinere. Cur enim malum voluit esse, si id odio habet? cur non unum bonum fecit, ut nemo faceret malum, nemo peccaret? Equidenim? nulla virtus esse poterat, nisi diversa Deus fecisset; nec omnino adparere vis boni potest, nisi ex mali comparatione; adeoque malum nil aliud est, quam boni interpretatio, uti aflatur Dion, atque Plutarchus. Sublato igitur malo, etiam bonum tolli necessum est; si lævam manum, aut pedem amputaveris, nec corpus erit integrum, nec vita ipsa constabit; adeo ad compagem corporis temperandam aptissimo cum dextris sinistra junguntur; item si pares calculos feceris, nemo ludet; si unum colorem Circo dederis, nemo

nemo ſpectandum putabit, ſublata Circenſium voluptate, quos profecto qui prius inſtituit, amator unius coloris fuit, ſed alterum ei quaſi æmulum poſuit, ut poſſet eſſe certamen, & aliqua in ſpectaculo gratia. Sic Deus quum bonum conſtituit, quum virtutem dedit, ſtatuit etiam diverſa, cum quibus illa confligeret; ſi deſit hoſtis, & pugna, nulla victoria eſt; tolle certamen, ne virtus quidem quidquam eſt. Quam multa ſunt hominum inter ſeſe, & quam variis artibus conſtituta certamina; nemo tamen fortior, velocior, præſtantiorque haberetur, ſi adverſarium, cum quo contenderet, non haberet. Unde autem abeſt victoria, abeſſe hinc, & gloriam ſimul, & præmium neceſſe eſt; ut igitur virtutem ipſam exercitatione aſſidua roboraret, eamque faceret de malorum conflictatione perfectam, utrumque ſimul dedit, quia utrumque ſine altero retinere vim ſuam non poteſt. Verum propius ad propoſitum noſtrum accedamus. In hac virtutis, fortitudinis ſcilicet, genere excellere glorioſum eſſe, ac plane honeſtum vel Ethnici ipſi, qui in Religionis falſæ tenebris miſerrime jacebant, judicarunt; nam ait Cicero de Officiis lib. Cap. xx. „ *intelligendum eſt autem, quum* „ *propoſita ſint genera quatuor, ex quibus hone-*

 „ *ſtas*

„ *ftas, officiumque manaret, splendidissimum vi-*
„ *deri, quod animo magno, elatoque humanas res*
„ *despiciente factum sit.* " Quid Christiani, qui Patrem Christum habent in Cœlis, qui expresse in sacris litteris rerum terrenarum præcipit abdicationem, contemptumque voluptatum corporearum, vitiorumque fugam? Quid Clerici, quicumque ii sint, Ecclesiasticive viri, qui a Deo sunt destinati, ut Populum in Fide Christi erudiant, ejusque eum præcepta doceant, ut eum per perfectionis viam traducant? Populus enim iste quomodo Fidem Christi tenebit, quomodo ejus servabit præcepta, quomodo justitiæ perfectionisque Christianæ viam, quo ducit terrenarum rerum, voluptatumque corporearum contemptus, calcabit, si eos videat intentos ad cumulandas divitias, corporeisque voluptatibus inservientes? Eorum igitur potissimum est, contemptis terrenis fragilibus rebus, fortitudinis virtutem tenere; eorum est ad principale æternitatis fastigium mentem, oculosque provehere; eorum est & morum ingenita sanctitate, & veritatis in omni actu justitiæ consumere; eorum est præcipua virtutis, & sanctitatis populo exempla præbere.

Restat nunc, ut de summa temperantiæ vir-
tute,

tute , ac modestia pauca delibemus . Præter voluptatem unam, quæ ad generandum pertinet, nullam animantes sentiunt voluptatem; utuntur ergo sensibus ad naturæ suæ necessitatem; vident, ut appetant ea, quibus opus est ad vitam tuendam; audiunt invicem, seque dignoscunt, ut possint congregari; quæ utilia sunt ad victum, aut ex odore inveniunt aut ex sapore percipiunt; inutilia respuunt, aut recusant; edendi, bibendique officium ex plenitudine ventris metiuntur. Uni ergo homini solertissimus Artifex infinitam dedit voluptatem cadentem in vitium, quia proposuit ei virtutem, quæ cum voluptate semper tamquam cum domestico hoste pignaret; uni homini dedit virtutem, qua expugnaret, ac vinceret voluptatem, sicque emineret temperantiæ virtute, quaque libidinem egredientem fines sibi datos intra præscriptum coerceret. Hinc vel ipsi Philosophi oculorum variam, & multiplicem, quæ ex aspectu capitur rerum, quæ sunt in usu hominum, vel natura, vel opere delectabiles, quæque possunt fovere inhonestatis vitium, sustulerunt; relicto tamen publicis spectaculis loco. Siccine? Ea certe, quæ maxima sunt irritamenta vitiorum, & ad corrumpendos mores, animosque pervertendos

potentissime valent, tollenda sunt a nobis; quia non modo ad beatam vitam nil conferunt, verum etiam plurimum nocent: dicam idem de histrionum impudicissimis motibus; nam quid aliud nisi libidines docent, & infligant? quorum enervata corpora, & in muliebrem incessum, habitumque mollita, impudicas fœminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de mimis loquar corruptelarum disciplinam præferentibus, qui adulteria docent, dum fingunt, & simulatis fictisque erudiunt ad vera? admonent enim spectatores, quid facere possint, eosque inflammant libidine, quæ aspectu maxime concitatur, ac unusquisque pro sexu se in illis turpibus imaginibus præfigurat, probatque illa, dum ridet, & adhærentibus vitiis corruptior ad cubicula revertitur; & non modo pueri, quos præmaturis vitiis imbui non oportet, sed etiam senes, quos amplius peccare non decet, in talem vitiorum turpissimam labem dilabuntur. Quid dicam de Circensium ludis? par, eademque ratio est. Sunt ergo quæcumque spectacula vitanda, non solum ne quid vitii pectoribus insidat, quæ debent esse pacata, sed ne eorum voluptas nos & a Deo, atque a bonis operibus avertat. Christiani itaque imitentur Christianorum

vete-

veterum exempla necessum est; videant, quam solliciti modestiæ fuerint custodes, quam nefas putarent vel minimum a temperantia recedere; spectaculis adesse existimabant sacrilegum; histrionum turpissimis motibus adesse, nil turpius; adesse mimis, ludisque Circensium, nil ineptius. Verum id eorum potissimum est, qui propius Ecclesiæ Dei inserviunt, Clericos dico; qui aliis lucidissimum virtutum omnium exemplum debent esse, castitatisque custodes; quo mereantur amantissimum Patrem habere Deum, summúmque consequi bonum, in quo definiendo veteres omnes Philosophi superstitione detenti errarunt. Itaque, ut rem paucis complectar, Clericorum est omni honestatis officio vacare; eorum est prudentiæ primo, justitiæ secundo, tertio fortitudini, postremo temperantiæ inservire. Hinc primo intelligo, cur & Concilia, & Patres, & Pontifices a clericorum animis avaritiæ labem alienam voluerint, quæ in animis hominum tantas cit perturbationes, & interdum ita cogit delinquere, ut nec famæ, nec periculi sui ullam habere rationem siuat; adeo ut vel Stoici ipsi divitiarum affectum, qui, si nimius sit, avaritiam generat, dixerint amputandum; ut ut minus recte; non enim, quam

ille sit a corrupta natura insitus, tolli, amputarique potest; potius cohibendus est, ac temperandus. Utique opes, seu naturæ bona per se mala non sunt, quippe ad tuendam vitam sunt destinata; sed mala male utendo fiunt; sicut enim, si fortissime pro patria pugnes, bonum est, si contra patriam, malum; sic & affectus, si ad usus bonos habeas, & moderesis, virtutes erunt, si ad malos, dicentur vitia.

Intelligo secundo, cur iidem Ecclesiæ Patres, eadem Concilia, iidem Pontifices ludos Clericis prohibuerint; quid enim, (ut ait S. Bernardus) ludus nisi avaritiæ signum denotat? Neque est, cur ad consuetudinem confugiant; nam, ut id refellam, eos ad Innocentii III. phrasim, *in Cap. XI. de excessibus prælatorum compello*: *nos* (ait) *qui ex officii nostri de-* „ *bito pestes ejusmodi extirpare proponimus*, *atque* „ *ludos voluptuosos*, *occasione quorum sibi quan-* „ *dam curialitatis imagine ad dissolutionis mate-* „ *riam venitur*, *penitus improbamus*, *excusationem* „ *prædictam*, *quæ per pravam consuetudinem*, *quæ* „ *corruptela dicenda est*., *palliatur*, *frivolam re-* „ *putantes*, *cum in illis magis plectibilis sit offen-* „ *sa per quos ad excusandas excusationes in cul-* „ *pis delinquendi auctoritas usurpatur*.

Intelligo, cur negotia secularia iis prohi-

bue-

buerint. Hieronymum in primis memoro, qui in *Can.* 7. *cap.* 12. *quaest.* 1. ita affatur: *Duo „ sunt genera Christianorum, est autem unum genus, quod mancipatum Divino officio, & deditum contemplationi, & orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit, uti sunt Clerici, & Deo devoti, videlicet conversi. Clerus enim graece, latine sors: inde hujusmodi homines vocantur Clerici, idest sorte electi: Omnes „ enim Deus in suos elegit.* Memoro deinde Alexandrum III. *in Cap.* 6. *ne Clerici, vel Monachi*, ita Laodicensi Episcopo rescribentem: *„ Secundum instituta praedecessorum nostrorum sub „ interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici caussa lucri negotientur, & „ ne Monachi a Clericis, vel laicis suo nomine firmas habeant, neque laici Ecclesias ad firmam „ teneant.* Memoro Synodum Œcumenicam *VII. „ Can.* 10. *Principum* (legitur) *Capellanus constituitur, ne liceat ei mundanas, & saeculares „ curas suscipere, praesertim cum hoc agere prohibeatur a Sacris Canonibus; potius autem maneat ad educationem, at Magisterium puerorum, „ & famulorum, perlegens eis divinas Scripturas: „ ad hoc enim Sacerdotium consequutus est.* Memoro Concilium Africanum a S. Cypriano laudatum. *Ne quis de Clericis, & Dei Ministris*

 tuto-

„ *tutorem, vel curatorem testamento suo constituat;*
„ *quando singuli Divino officio honorati, & in Cle-*
„ *ricorum Ministeris constituti non nisi altari, &*
„ *Sacrificio deservire, & precibus, atque orationi-*
„ *bus vacare debeant*. Intelligo, cur Concilia summopere nimiam, ac familiarem cum mulieribus clericorum conversationem detestata sint. Vide quid Synodus Cameracensis Part. I.
„ tit. 9. Cap. 3. *Consortium mulierum Sacerdoti*
„ *non convenit, quum castitas difficiliter in mu-*
„ *liebri consortio, raro tamen retineri possit: qua-*
„ *re pracipit Sacr. Synodus, ne qui Sacros Ordines*
„ *susceperit, in familia secum habeat mulierem*
„ *extraneam, de qua suspicio concipi facile si-*
„ *nistra possit; quam suspicionem vitare nequeunt,*
„ *qui juvenes comptas, procaces, otiosas, impu-*
„ *dentes, mali nominis, ac fama, aut quas an-*
„ *teacta vita macula contaminet, vel secum alunt,*
„ *aut frequenter adeunt, aut admittunt*. Vide
„ quid Synodus Melch. P. 1. tit. 18. cap. 8.
„ *Quoad Clericos suspectam cum mulieribus con-*
„ *suetudinem habentes juxta decretum Canonum,*
„ *& Concilii Tridentini rigorose puniantur; &*
„ *hujusmodi mulieres, si monita ab Ordinario se*
„ *ab eorum consuetudine non sejunxerint, extra*
„ *oppidum vel Diœcesim, invocato etiam, si opus*
„ *fuerit, brachio saculari, ejiciantur*. “ Vide

quid

quid Synodus Diœcesana Audomarensis: „ *præ-* „ *cipit Sancta Synodus, ut cum mulieribus etiam* „ *sanctitate conspicuis extra honestatis necessitatem* „ *Clerici non conversentur* . . . *& melior est, mi-* „ *nusque periculosa in virorum conversatione ini-* „ *quitas viri, quam mulier benefaciens*. Quid aliud Synodus Antuerpiensis anno 1610. tit. 17. cap. 6?

Intelligo cur a Sacris Conciliis prohibitus Clericis sit Popinarum ingressus; cur juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. v. 18. *nolite inebriari vino, in quo est luxuria*; & illud Sapientis Prov. 20. v. 1. *luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas*, prohibitum iis sit Baccho inservire, quibus Conciliis & Pontifices & Sancti Ecclesiæ Patres subscripserunt; nil aliud enim voluere, quam ut Clerici honestatis virtutem sibi haberent propositam, nil aliud quam ut curas spesque omnes vitæ, & salutis in sola virtute collocarent, ut fragilia contemnerent, quo solida consequerentur, ut spernerent terrena, quo cœlestibus honorarentur; nil aliud, quam ut abjicerent corporeas voluptates, quarum illecebris sublimis animus deprimitur ad terram; nil aliud, quam ut se ad justitiam, ad continentiam, ad virtutem instruerent, quo Fidei coronam, præmiumque im-

immortalitatis possent comparare, ac proficisci ad illum æquissimum judicem, Parentemque indulgentissimum, qui pro laboribus requiem, pro morte vitam, pro tenebris claritatem, pro terrenis, brevibusque bonis æterna, ac cælestia elargitur, cum qua mercede acerbitates ac miseriæ, quas hic in terris patimur justitiæ opera facientes, conferri, ac coæquari nullo modo nullave ratione possunt.

Paucis hisce quæ propria sint Clericorum, virorumque Ecclesiasticorum officia, quibus sedulo vacent oportet, habes; adderem plura, sed quum id mihi per tempus non liceat, transeo ad alia.

De Summo Pontifice

CAPUT PRIMUM

UNicus est, id fatentur omnes, Episcopatus; hujusce portionem singulis Apostolis Christus benigno favore concessit; portionem tamen majorem Petro Apostolorum Principi dedit. Episcopi sunt successores Apostolorum, ergo

ergo eamdem habebunt Episcopatus portionem ; Pontifex summus est Petri Successor, ergo & ipse, uti Petrus, Majorem in Episcopatu partem tenebit.

Sit ergo Summus Pontifex supremus Ecclesiæ Regens, sit Ecclesiæ Caput, habeat ille primatum. Unde tamen iste primatus? Refert distinguere, utrum in tempora Apostolorum intendamus, an vero posteriora tempora contemplemur. Si primum, duo maxime, quibus primatus prærogativa distingueretur, attendenda sunt. Primum in communione cum Petro retinenda versabatur ; quæ communionis necessitas, uti notat de-Marca in suo tractatu *de singulari Petri Primatu*, dupliciter spectari poterat, vel habita ratione Apostolorum, qui ex officio ad communionem cum Petro ut lapite conservandam tenebantur, vel habita ratione Ecclesiarum, quas per provincias ipsi instituebant ea lege, ut Petrum tamquam Ecclesiæ Caput respicerent, ejusque regimini subjicerentur ; alterum cernebatur in eo, ut caussæ, atque negotia, quæ universam Ecclesiam respicerent, ad eum præcipue tamquam Ecclesiæ Caput discutienda, referendaque essent. Si secundum, idest si posteriora tempora respicimus, tertium, in quo primatus emi-

net

net prærogativa, adjiciendum est: hoc eo dirigitur, ut corrigere excessus, supplereque defectus Episcoporum possit, deque eorum persona judicium ferre, quod sane obtinere temporibus Apostolorum minime poterat; ii quippe ut pote a Deo eruditi deficere a Fide non poterant.

Primatus iste unus, & indivisus est, quemadmodum unum quiddam, ac per se indivisum est Summum Imperium; ut ut interdum fieri possit, ut istud dividatur sive per partes, quas vocant, potentiales, ita ut penes alium sint judicia, penes alium bella, penes alium comitia: nam uti elegantissime notavit olim Gronovius, totum potentiale, quod alias logicum, & universale appellant, est genus respectu specierum; genus autem imperium summum est; species imperium summum in jure reddendo; imperium summum in bello, imperium summum in comitiis, sive per partes subjectivas; idque clarissimum est.

In vim primatus, quem Summus Pontifex habet, potest ubicumque, in Diœcesibus scilicet Episcoporum, suam explicare jurisdictionem. Hæc phrasis potest incautum quemdam decipere; in ea propterea, quæ sum dicturus, animum intende tuum; adnota nimirum, me

ita ſcribentem non ita ſentire, ut primatus in hocce conſiſtat: aliud enim eſt primatum in re aliqua conſiſtere, aliud eſt quidpiam in vim primatus fieri; illud ſubſtantiam primatus conſtituit, hoc vero primatus effectum; & certe res eſſet abſurdiſſima definire, in ea re primatum conſiſtere; quum enim temporibus Apoſtolorum, ante Diœceſeon diviſionem, omnibus Apoſtolis, ubicumque vellent, liceret ſuam juriſdictionem exercere, omnes propterea Apoſtolos habuiſſe primatum definiendum foret, quo quid abſurdius? eſt tamen obſervandum, tunc id licere Pontifici, ſi certas juſtas cauſſas ipſe dignoſcat; id notant fere omnes in hac parte eruditiſſimi viri: contentus tamen ſum quod in hac re ſcripſit Berard. in diſſert. 2. cap. 1. proferre: *ſi iſta* (ait) „ *principia jaciantur, quid dubitamus; quin diviſionem illam non obfuiſſe latiſſimæ Romani Antiſtitis poteſtati adfirmemus? dummodo tamen illud adjiciatur, nihil exinde fore diviſarum provinciarum detrahendum, quam & ipſe Antiſtitum omnium Princeps curare, & promovere ex Chriſti mandato tenetur, & qua provinciarum diviſioni cauſſam dedit maxime gravem: quod idem eſt, ac dicere, tum eam poteſtatem exerceri a Pontifice Maximo poſse, cum ipſe id*

„ *in*

„ *interesse, atque expedire certis de caussis mini-*
„ *me contemnendis prudenti arbitrio judicaverit*.
quid clarius? quid apertius? quid dixero justius? quum enim justa caussa, eademque publica ad Provinciarum divisionem impulerit, juxta quoque proinde debet ad eam tollendam impellere. Huc ergo collineat Concilium Salengust. *Cap.* 18. hisce verbis conceptum:
„ *quia multi tanta mentis suæ falluntur stulti-*
„ *tia, ut in aliquo capitali crimine inculpati pœ-*
„ *nitentiam a suis Sacerdotibus accipere nolint,*
„ *in hoc maxime confisi, ut Romam euntibus Apo-*
„ *stolicus omnia sibi dimittat peccata, Sancto vi-*
„ *sum est Concilio, ut talis indulgentia illis non*
„ *prosit, sed prius juxta modum debiti pœniten-*
„ *tiam sibi datam a suis Sacerdotibus adimpleant*
„ *& tunc Romam ire si velint ab Episcopo proprio*
„ *licentiam, & literas ad Apostolicum exiisdem*
„ *rebus deferendas accipiant*. Huc Concilium Lemovicanum celebratum anno 1045. sub Benedicto IX. hoc enim nil aliud egit, quam Concilium Salengust. confirmare. Huc Concilium Elviranum *Can.* 53. Concilium Arelatense *Can.* 15. Concilium Nicænum *Can.* 9. & 16. Huc Concilium Antiochenum *Can.* 2. 5. & 6. Concilium Sardicense *Can.* 18. & 19. Concilium Carthag. *Can.* 5. 21. 44. Huc Con-

cilium Constantinopolitanum *Can.* 2. Concilium Turonense *Can.* 8. Concilium Africanum *Can.* 7. Concilium Milevitanum *Can.* 18.

Nunc huc referre est quorumdam Pontificum, qui Episcoporum jurisdictionem sine caussa minime perturbandam duxerunt, exempla. Ethienes Gergobiæ Episcopus quum excommunicationis vinculo quemdam, cujus nomen Pontius erat, ferierit; quum iste Romam iverit, cumque ab excommunicatione liberaverit Benedictus IX. qui tunc temporis Pontificatum tenebat, en quomodo se Benedictus ipse in quadam epistola, quam ad Ethienem scripsit, excusaverit: *quod nescienter egi, frater carissime, non mea, sed tua est culpa: scis enim, quia quicumque de universa Dei Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum, ad me caussa remedii recurrit, impossibile est mihi ejus curam negligere, dicente Domino ad Beatum specialiter Petrum: Petre, pasce oves meas; quo ergo modo poterit sedes Apostolica ejicere aliquem de medela, nisi rationabili caussa? debueras certe mihi, antequam illa mortua ovis Romam veniret ejus caussam tuis innotescere apicibus, ut eam ego omnino abjicerem, tuamque firmando auctoritatem cum anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus consacerdotibus meis*

ubi-

„ *ubique terrarum coadjutorem me , & consultato-*
„ *rem potius esse , quam contradictorem ; absit enim*
„ *Schisma a me , & Episcopis meis : Itaque illam*
„ *pœnitentiam , quam excommunicato ignoranter*
„ *dederam , & ille fraudulenter accepit , irritam*
„ *facio , & cassam* .

En alterum exemplum : Diœcesanus quidam Episcopi Engolismensis quum, nescio quale ob crimen , adierit Summum Pontificem, ut ejus absolutionem obtineret ; id egit Summus Pontifex , eique certam imposuit pœnitentiam ; hanc tamen confirmandam ab eodem Episcopo misit , dicens, se nil agere eo inconsulto velle : en tamen quid Episcopus Diœcesano suo , cujus compertam habuit astutiam , ubi ei absolutionem obtentam nunciavit , petiitque ab eo pœnitentiæ confirmationem, respondit? respondit , se minime tale mandatum , quale dixit extortum , credere , proinde ei nihil prodesse ; en verba : „ *non credere possum hoc mandatum ab eo extortum , & hoc tibi nihil utile est , & donec a me , vel hujus Sedis Archidiacono , me jubente , accipias pœnitentiam , permane in excommunicatione , & vade foras ab Ecclesia* .

Vis alterum exemplum ? paucis habeto. Quidam miles Vasco quum jussu Ducis Vasconiæ cui-

cuidam illuſtri viro vitam abrepſerit, criminis dolore tactus pœnitentiam ab Epiſcopo ſuo petit, qui, quum, quam ei faciendam injungeret, ob criminis atrocitatem neſciret, eum ad Summum Pontificem, a quo eam acciperet, miſit, dicens: *ſi tibi ille pœnitentiam concedit, & ego gaudeo, & confirmo, ſi ille te abjiciet, numquam nec a me, nec ab aliquo invenies pœnitentiam*. Miles iſte igitur Romanam perexit, eoque pervenit ſecunda Paſchatis feria; adiitque ſummum Pontificem in Eccleſia Sancti Petri Divinum Officium celebrantem; & coram omnibus inter fletus, gemituſque atrociſſimi criminis ab eo petiit pœnitentiam; tunc ab eo Pontifex quæſivit, cur ſuum non adierit Epiſcopum: *Cur epiſcopum tuum non expetebas?* reſpondit, ſe ad eum ab epiſcopo ipſo miſſum, litteraſque Epiſcopi ſui, quibus ſe ab eo ipſo miſſum conſtabat, protulit. Tunc Pontifex ad quemdam Epiſcopum, qui ab ejus dextris ſtabat, converſus, ſic ei locutus perhibetur: *Recogita auctoritatem Divinam quali pœnitentia hic mortuus poſſit vivificari*; & ait Epiſcopus: *Dominus dixit in Evangelio: omnis,*
„ qui reliquerit domum, vel fratrem, vel ſorores,
„ aut Patrem, aut uxorem aut filios, aut agros

 „ pro-

„ *propter meum nomen, centuplum accipiet, & vi-*
„ *tam æternam possidebit.* " Ex hoc intelligi potest, hunce Summum Pontificem hoc sibi habuisse propositum, ut Ecclesiasticos canones observaret, nihilque auctoritatis in Diœcesibus aliorum Episcoporum; & supra eorum subditos sine caussa sibi adrogaret.

Descripto Summi Pontificis primatu, paucis quæ sui muneris sunt, delibemus. Præcipuum porro illius officium est ea peragere, quæ Religionem promovent Christianam, quæ certe & plurimi valet ad Dei gratiam nobis conciliandam, & maximos habet in Societate Christiana effectus. Dicam enim, eam esse honestæ disciplinæ vinculum; dicam, eam esse coagulum omnis Societatis, & fundamentum legislationis: *συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα*. Dicam eam esse efficacissimum amatorium, & vinculum indissolubile benevolæ amicitiæ, unius Dei cultus: *φίλτρον ἀνυσιμώτατον καὶ δεσμὸς ἄλυτος εὐνοίας ἐρωτικῆς ἡ τοῦ ἑνὸς Θεοῦ τιμή*..... Justissime ergo Justinus veterem Judæorum Justitiam Religione permixtam laudat ex Trogo; justissime Lactantius de ira Dei:
„ *Si ergo pietas est cognoscere Deum, cujus cogni-*
„ *tionis hæc summa est, ut eum colas, ignorat*

„ *uti-*

„ *utique justitiam, qui religionem Dei non tenet ;*
„ *quomodo enim potest eam nosse, si unde oriatur,*
„ *ignorat?*

In promovenda autem Religione Christiana, nemo certe ad eam suscipiendam pœnis, aut metu trahendus, Rom. VIII. 15. Hebr. II. 15. Joan. VI. 67. Luc. IX. 54. Matth. XIII. 24. quo sensu Tertullianus: *lex nova non se vindicat ultore gladio*. Hucque pertinet quod in libro antiquo, cui nomen est *Constitutiones Clementis*, legitur de Christo: τὸ αὐτεξούσιον τῷ ἀνθρώπῳ ἀφῆκεν ἐλεύθερον, οὐ προσκαίρῳ θανάτῳ δικάζων, ἀλλ' ἐν ἑτέρᾳ καταστάσει λογοθετῶν αὐτό.... Scilicet *liberam reliquit hominibus arbitrii potestatem non morte temporali eos puniens, sed in altero seculo ad reddendum rationem vocans*. Huc pertinet quod scripsit Athanasius Epistola ad Solitarios: „ *Dominus non cogens, sed libertatem suam voluntati permittens, dicebat quidem vulgo omnibus: si quis vult venire post me; Apostolis vero, numquid & vos abire vultis?* " Huc quod Cyprianus *Epist.* 4. *Conversus ad Apostolos suos dixit, numquid & vos vultis ire? servans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus & in arbitrio proprio constitutus sibi met ipse vel mortem appetit, vel salutem.*

Huc quod Chrysostomus ad Joannis locum

vi. 67. ερωτα λεγων μη και υμεις θελετε υπαγειν, απερ ῶ αςαν ην αφαιρϐντος βιαν και αναγκην, ideſt, *interrogat, an & ipſi velint diſcedere, quod omnem eſt amoventis vim, ac neceſſitatem*. Huc quod ſcripſit Lactantius lib. 5. Divin. inſtit. „ *non eſt* „ *opus vi, & injuria . . . quia Religio cogi non po-* „ *teſt . . . defendenda eſt non occidendo, ſed morien-* „ *do, non ſævitia, ſed patientia, non ſcelere, ſed* „ *fide*. Huc tandem reſpicit Synodus Toletana Cap. de Judæis diſt. 45. *Præcipit Sancta Sy-* „ *nodus, nemini deinceps ad credendum vim in-* „ *ferre: cui enim vult Deus miſeretur, & quem* „ *vult indurat*.

Quæ vero ſperanda ab eo eſſet Chriſtiana Religio, qui ad eam ſuſcipiendam fuerit vi, invituſque perductus? Religio plane fictitia, ac fere nulla, ea ferme ratione qua nihil agit virtutis, qui ejus actum vi, metuque elicit, nihilque honeſti invitus, coactuſque: nihil enim honeſtum (a quo ne immortalitatis quidem pretio recedendum) quod ab invito fit; Omne enim honeſtum incoactum eſt, injuſſum eſt, ſincerum eſt.

Iis, quæ ad Religionem promovendam conducunt, jungimus ea quæ promovent pietatem, Nam pietate ſublata fides etiam, & Societas generis Chriſtiani, & una excellentiſſi-

ma

ma virtus justitia tollitur. Jungimus, quæ ad optimum Ecclesiæ Regimen conducunt; jungimus ea, quæ tendunt ad unitatem Ecclesiæ, quæ, sicut per divisionem filiorum suorum tamquam membrorum putrescentium, & contra Deum peccantium peccatis, quæ juxta verbum propheticum *diviserunt inter nos, & Deum*; sic per unionem oppositam, scilicet reconciliationem cujuslibet ad Deum; morumque reformationem debet iterum tentari à Summo Pontifice, a quo origo, & radix illius pendet, ut hinc vere scripserit Cyprianus epist. 66. *Ecclesiam Romanam Petri esse Cathedram, & Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est;* a quo non longe distat Optatus Milevitanus Episcopus *lib. 2. contra Parmen.* dum sacrilegi Donatistarum in Africa Schismatis virus extinguere studens, ita scribit: „ *Igitur negare non potes, scire te in urbe „ Roma Petro primo Episcopalem Cathedram esse „ collatam, in qua sederit omnium Apostolorum „ caput Petrus, unde & Cephas appellatus est, „ in qua una Cathedra unitas Ecclesia servare„ tur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quique de„ fenderent; ut jam Schismaticus, & peccator „ esset, qui contra singularem Cathedram alteram „ collocaret*; quæ verba hunc habent sensum:

Ecclesia quæ instar corporis nexu quodam mystico Christo, ut capiti, cohæret, una est; in hac Ecclesia unus est Episcopatus, unaque Cathedra; hujus Cathedræ dignitatis portio a singulis Episcopis possidetur, ita tamen ut Petrus primas habeat partes, quum ille potissimum a Christo fuerit interpellatus iis verbis, quibus ei administrandarum clavium, pascendique gregis curam demandavit sub hoc respectu, ut unitas Ecclesiæ demonstraretur, & Petro dignitas illa tribueretur, qua, ut cum Augustino loquar, *totius Ecclesiæ repræsentaret figurata generalitate personam*; *& Schismatis*, secundum Hieronymi phrasim lib. 1. contra Jovin. *tolleretur occasio*.

En nunc paucis quid juxta Cypriani, Optati, & Hieronymi sensum Gelasius I. de Ecclesia Romana judicet: judicat Ecclesiæ Romanæ principatum ab unitate Ecclesiæ, quam Christus instituit, arcessendam: in tractatu enim adversus Græcos edito a R. P. Sirmondo Patrum Synodi Nicænæ judicio vetustissimum sedis honorem adjudicatum fuisse ait in vim verborum Christi: *Tu es Petrus; & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam .... Ecce ego rogavi &c. .... Pasce oves meas*; *quare igitur*, [illegible] (sunt

(sunt eadem verba) „ *ad Petrum tam frequens* „ *sermo dirigitur* ? *Numquid nam reliqui Sancti*, „ *& Beati Apostoli non erant simili virtute succin-* „ *cti? quis hoc audeat affirmare ? sed ut Capite* „ *constituto Schismatis tollatur occasio , & una* „ *monstraretur compago Corporis Christi , quæ ad* „ *unum Caput gloriosissimæ dilectionis Societate* „ *concurreret , & una esset Ecclesia , cui fideliter* „ *crederetur , unaque domus unius Domini , &* „ *unius Redemptoris , in quo de uno pane , & de* „ *uno calice nutriremur* .

Possem de Summo Pontifice alia bene multa describere; sed quoniam hoc præstitutos limites exuperaret , silentio prætereunda duco : hocque unum dixero, Pontificis Romani Electionem non eamdem semper fuisse. Olim ad Clerum , totumque Romanorum fidelium cœtum spectabat; aliquando electionis jus Carolo Magno datum fuit ; postremo ad Cardinales pertinet ; dixero , ordinario jure non posse Summum Pontificem sibi successorem eligere ; dixero , abdicare dignitatem suam sine justa caussa non posse, justa de caussa posse ; veluti si schisma occuparet Ecclesiam ; tunc enim potest ; immo si Ecclesiæ pax , & unio aliter procurari non possit , tenetur ; absurdumque est hoc in controversiam adducere, ni velis di-

cere, publicam Ecclesiæ utilitatem contra omnes justitiæ regulas parvi, floccique faciendam.

De Episcopis

CAPUT SECUNDUM.

Vitium ambitus fugiendum, vitandumve esse, vel apud Ethnicos ita certum erat, ut in constituendis Magistratibus ad res publicas sincere gubernandas legem ambitus tulerint; de quo Romæ factum referunt Senatus Consultum, quod postea, ne varietate temporum intermoreretur, Valentinianus, & Martinianus *in lib. legum Novellarum* renovarunt. Indeque est, ut & Ecclesia in Ministris deligendis, ordinandisque ambitus vitium, & præcipue in electione Episcoporum semper perhorruerit, fugiendumque velut Simoniacum esse decreverit: res clara est, & certa. Sed non solum Episcopatus non est ambiendus, sed ne appetendus quidem. Quum enim oporteat, Episcopum sine crimine esse, virtutibusque splendescere, sibi-

sibique tantum communem Ecclesiæ utilitatem fructumque proponere, planeque cognoscere, se recte, convenienterque in omni vita cum virtute posse præstare, nihilque amplius attendere, quod forte ad commoditatem, aut ad gloriam, vel ad pecuniam, vel ad alia similia conducat; quum perfectionem istam ex toto complecti laboriosum sit; & affirmare de nobis necessarias qualitates perdifficile, tutius est opus tam arduum declinare potius, quam appetere. Revera fore quantitates necessarias in Episcopatu de nobis affirmare perdifficile, en quid Gersonius in *Sermone de fuga, & desi-* „ *derio Episcopatus: Qui Episcopatum desiderat,* „ *& vocari ad eum, fallitur plerumque reputans,* „ *se ex qualitate appetere, quod quærit ex vani-* „ *tate, vel ex alia vitiosa radice: tradit hoc* „ *Beatus Gregorius in Pastorali, loquens vocem ex-* „ *perientiæ de plurimis; qui ante adeptionem Epi-* „ *scopatus ponunt in animo, se multa facturos pro* „ *regimine plebis in prædicando, & animas totis* „ *conatibus, ut eis videtur, ad viam salutis di-* „ *rigendo, qui postquam adepti sunt, quod opta-* „ *bant, nihil agunt de præcogitatis suis, veluti* „ *somno scilicet, vel inertia se totos tradunt, aut* „ *ambitioni, vel luxuriæ deserviunt. Novi ego ipse* „ *quemdam, qui ad Episcopatum anhelabat, cui-*

„ *dum diceretur, me præsente, status vester infe-*
„ *rior longe securior est, & eligibilior ut pote mi-*
„ *nus honoris, & satis mundanæ sustentationis ha-*
„ *bet; respondit: & quid valet homo de se solo*
„ *cogitans? volo me circa Sermones, & exercita-*
„ *tiones publicas exercere: hic est finis meus par-*
„ *ticularis. Ita sibi forte tunc pingebat, ut fit,*
„ *in animo phantasmata consideratio sua exur-*
„ *gens ex ambitione, quæ quo magis falleret, te-*
„ *gebat se hac umbratili veste virtutis, & men-*
„ *tiebatur iniquitas sibi. Hic enim tantus promis-*
„ *sor nescio, si toto tempore sui Episcopatus unum*
„ *sermonem egerit ad Populum; cæterum pecunias*
„ *undequaque congregavit, quas alius tamen vio-*
„ *lentior raptor coegit; & quoniam adeo profun-*
„ *dum est cor hominis, Jerem. 17. 9. ita ut nec a*
„ *se ipso possit agnosci, quia vitia se virtutes es-*
„ *se fingunt, propterea Sancti viri, qui semper*
„ *pavidi sunt, & verentur cum Job omnia opera*
„ *sua, non credunt se sibi in appetitu præsidentiæ*
„ *Episcopalis, refugiunt potius, & horrent maxi-*
„ *me.*

Sed rem altius repetamus: qui desiderat Episcopatum, aut propter status dignitatem, & amplitudinem desiderat, aut propter res temporales, quæ ex Episcopali Beneficio percipiuntur, forte ut se, suosque parentes ditet

aut

aut ut laudetur, & vocetur ab hominibus *Rabbi*; aut denique propter publicam suæ Diœcesis utilitatem; populum scilicet per viam salutis traducendo, pascendoque pabulo vitæ, & doctrinæ. Si primum, peccat peccato vanitatis, elationis, & superbiæ: hucque respicit Augustinus *lib.* xix. *de Civitate Dei*, ubi ita „ affatur: *locus superior, sine quo populus regi „ non potest, etsi administretur, ut decet, tamen „ indecenter appetitur ut in superiori loco sistatur*. Si secundum, peccat peccato avaritiæ, & Simoniæ; utque utar S. Augustini phrasi *in lib. de Opere Monachorum*, quærendus victus est, ut evangelizetur, non evangelizandum, ut vivatur; esset enim ordo perversus, si quod principalius est, & perfectius, ad id, quod minus perfectum, & accessorium est, velut ad finem ordinaretur. Si tertium, peccat peccato ambitionis; si postremo, temeritatis culpa redarguendus; quum, ut supra affatus sum, qualitates, quæ sunt in Episcopo necessariæ, affirmare de nobis perdifficile sit; quæ temeritas ut ut detur minima, est tamen turpissima; nam nævi, & verucæ, quamvis per se parvæ maculæ sint, faciem tamen fœdant deformitate notabili. Quid tamen est, quod D. Paulus in litteris ad Timotheum scribit: *qui*

Epi-

Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat? ex hoc ne posse quemquam intentum animum habere ad amplissimum Sacerdotium appetendum, eruitur? minime gentium; non enim ex eo quod opus bonum desiderat, qui Episcopatum desiderat, continuò hujus desiderium bonum esse sequitur; nam ut rem exemplis demonstrem, si quis honores, divitias, summasque amplitudines desideret, bonas res certe desiderat; ergo ne hujus desiderium bonum est? non sequitur; etsi enim opes, honores, amplissimique Magistratus, & hujus generis alia ex se non habeant, quod malum sit, in ipso tamen animo appetente vitium esse potest. Et si quis cuipiam rem furetur pretiosum, lautamque supellectilem, aut vestem aliquam auro, gemmisque interlucentibus exornatam, bonam rem certe furatur, furtum ne ergo hujusmodi bonum est? nequaquam: & si quis laudem affectat, bonam rem affectat; pulchrum enim est laudari præsertim à bonis, præstantissimisque viris, nec est in rebus humanis quidquam excellentius laude, quam præmium virtutis Philosophi constituerunt; ergo ne ambitio laudis est bona? non efficitur; insudandum enim est, ut laude digna geramus, non ut laudem affectemus; quod etiam

nec

nec negavere philosophi ; quid igitur verba hæc , *Si quis Episcopatum desiderat , bonum opus desiderat* , significant ? quid sub illo nomine Episcopatus veniat edocent : is enim est , qui ἐπίσκοπος græce nominatur , latine vero vigilator , speculator , ita ut deceat eum assiduum esse custodem , & speculatorem gregis sibi commissi , & virtutum omnium sectatorem ; nobilitatem autem , potentiam , honores , dignitates , privata commoda , nempe opes , gaudium , requiem , cœtum amicorum , quæ sunt ab hominibus inventa , inanes delectationes , quæ cito avolant , nec quærere , nec concupiscere ; & pro criminibus populi vigiliis quotidianis , victus parsimonia , ardentibusque precibus a Deo , præsidiumque suæ Divinæ virtutis efflagitare . Vide tamen , quomodo nonnulli , ut nos errore decipiant , argumententur : verba *Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat* , hunc , ajunt , sensum habent , ut bonus occupet Episcopatum ad salutem , quem malus ad perniciem occuparet : quid ni ? Si enim , ut præclare apud Platonem *de Repub. Dialog. I.* docti , honestique homines imperare nec volunt , nec curant omnino , nisi quum intelligunt Rempublicam administrationi malorum subjiciendam esse , qua de caussa ultro se

ſe ad eam gubernandam inferunt tamquam ad rem neceſſariam, cum neque melioribus, neque ſimilibus committi valeat; quanto magis licebit viro perfecta juſtitia, & ſapientia prædito cogitationem ſuam, curamque traducere ad tractandum Eccleſiæ gubernaculum, cum animadvertit eam in aliquod venturam eſſe diſcrimen, ſi id alteri cuipiam, quam ſibi uni crederetur, ſeque exiſtimat in ea aliquid poſſe præſtare, quod nullus alius poſſit; immo vero (proſequuntur) ſi id facere prætermitteret, jure optimo reprehendendus eſſet; quis enim non objurgabit eum, qui, ſi ex imperitia nautarum navigium periclitari videat, in quo ſit ipſe rei nauticæ peritiſſimus, non libenter, ac ſponte clavum apprehendat, illudque officio ſuo ex maris, ventorumque tempeſtatibus moderetur, & ſuſtentet, ſed malit ſecum una demergi cum majori cæterorum malo; quam ad capeſſendum navis gubernaculum ſe non adſcitum inferre? Hæc porro eorum ratiocinandi vis duplici vitio laborat; primum eſt, quod interpretatio iſthæc non ſubſiſtit; idque ſatis quæ ſequuntur verba demonſtrant: *Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſse &c.* quum enim iſthæc verba relationem habeant ad priora *ſi quis Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat*;

immo

immo sint horumce verborum ratio, quum isthæc officium Episcopi designent, & priora propterea verba hanc unam patientur interpretationem, ut ad Episcopi officium referantur; alterum vitium est, non valere argumentum navigii ad Episcopatum. Navigium enim artis est humanæ, cujus peritiæ se quis dare sponsorem potest, at Episcopatus virtutis est; quippe ad eum adipiscendum certæ necessariæ virtutes sunt; quas nemo sine temeritatis nota de se affirmare potest.

Progrediamur ad alterum adversariorum argumentum; appetere Episcopatum leges non prohibent, quidquid autem non est aliqua lege prohibitum, videtur esse permissum: nam Lex vetandi ratio quædam est, prohibendique sapientia; ergo appetere Episcopatum leges concedere videntur: vitiosum sane argumenti genus. In primis enim quidquid non est a jure prohibitum, concessum esse videri, non semper verum est. Nam Solon, qui Atheniensibus leges instituit, de Parricidiis nullam tulit legem; nec Lycurgus, qui Lacedæmoniis leges condidit, de adulteriis quidquam cavit; & initio naturæ humanæ, quum orti sunt homines, quamdiu bona fide vixerunt, tamdiu sine legibus permanserunt; cum vero erga ipsos

mu-

mutua benevolentia refrixit, nec amplius eorum Societas, pietate erga Deum de medio sublata, sine legum præsidio constare potuit, rogatæ fuere leges, quæ malos mores compescerent, & ab hominum convictu propulsarent injuriam, ita ut non immerito bonas leges ex malis moribus ortas fuisse feratur; dixeris ne tamen, tempore Solonis parricidium fuisse permissum? dixeris ne, tempore Lycurgi fuisse permissum adulterium? dixeris ne, naturæ humanæ initio omnia fuisse permissa? absit ita affari. Quid quod? ætate nostra nec contra omnia manifesta crimina latæ sunt leges; nam ingrati animi crimen, & vitium omnes summæ culpæ loco ponunt, & , ut ait Seneca, *ingrato homine terra nil pejus creat*; & ut olim vir clarissimus cecinit:

Nil homine ingrato pejus reperitur in Orbe,
Nil sceleratum carcer tetrius orcus habet.

Et tamen huic crimini nulla lex est constituta; quis tamen hoc non esse detestandum duxerit? Quid si nunc demonstrem, appetere Episcopatum legibus esse prohibitum? nihil amplius certe, quod respondeant, habebunt adversarii. Triplex jus esse, nemo negat, Divinum unum, quod Evangelii, & Sacrarum literarum præceptis constat; alterum humanum,

quod

quod lege Sanctorum Patrum, & Pontificia continetur; tertium libertini, quod moribus constituitur, conscriptisque monitis pervulgatur. Omnia ista jura appetere Episcopatum apertissime, planissimeque vetant; id quam brevissime potero pro consuetudine demonstrabo. Quod ut perspicue cerni possit, ponam in primis firmas, gravesque Christi auctoritates. Hic quum vellet Episcopos constituere, ut ex Evangelio Marci constat, in Montem ascendisse legitur, & ad se, quos ipse voluit, vocasse, quosque ad hujusmodi Divinum, ac prope cœleste munus vidit aptissimos; quod satis expressit Matthæus *Cap.* 20. *v.* 1. 2. 5. dicens, Christum, conscenso monte, accersisse non quosvis e multitudine, sed duodecim a se delectos, quos Evangelista ubi nominatim, strictimque recensuit, ita subjecit: *Hos duodecim* misit *Deus, ut non opinione dubia haberetur, quod nullus Apostolorum optaverit illam potestatem a Christo sibi præstari:* idque etiam ex Evangelio Joannis *Cap.* XV. 16. 19. apertissime constat, ubi Christus, quo magis spectatum redderet ipsorum affectum, nosque doceret præstantioris officii munus affectandum non esse etiam ad benemerendum de aliis, studiumque serviendi Christiani populi saluti, sic illis dixit: „ *non vos me elegi-*

M *stis*

„ *stis, sed ego elegi vos, ut eatis, & fructum af-*
„ *feratis, & fructus vester maneat*; quasi aperte dixerit: apostolatus citra conatum, studiumque vestrum vobis contigit, nam ego elegi vos de mundo, & constitui vos Ecclesiæ præsides, & Evangelii mei præcones, *Cap.* VI. 12. 13. Quam electionem Lucas ut prorsus divinam ostenderet, Christum per totam noctem Cœlestem Patrem deprecatum esse commemorat, primoque diluculo, discipulis ad se vocatis, ex omnibus duodecim delegisse, & eos Apostolos nominasse. Quod rursum ex illa Christi sententia planum fit: „ *propterea dixi vobis, quia*
„ *nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum a*
„ *Patre meo. Joan.* VI. 65. Nec desunt in eumdem sensum Apostoli lucidissima, maximeque perspicua testimonia, quæ constanter nos docent, Episcopos (nempe legitimos) vocatu Spiritus Sancti institutos, & effectos esse; sicut in Actis Apostolorum, ubi Episcopi de sua ad Episcopatum vocatione monentur; *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Act.* XX. 28. & rursus ad Romanos *Cap.* I. 10. *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Nec est dissimile illud ad Hebræos

Cap.

Cap. v. 4. *nemo ſibi aſſumit honorem, niſi qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

Venio nunc ad illud jus, quod Pontificia lege Sanctorumque Patrum continetur; vetat enim & hoc Epiſcopatus appetitionem. Id in primis expreſſit Gregorius in Opuſculo de paſtoris officio: *ſicut locus Regiminis deſiderantibus eſt negandus, ita fugientibus eſt offerendus*; & in Epiſtola ad Syagrium Auguſtod. Epiſcopum: ,, *ſicut is, qui invitus renuit, & quaeſitus refu-* ,, *git, Sacris Altaribus eſt admovendus; ſic qui* ,, *ultro deſiderat aut importune ſe ſe ingerit, pro-* ,, *cul dubio eſt removendus, ac repellendus. Nam* ,, *ſi ſic nititur ad altiora conſcendere, quid aliud agit, niſi ut creſcendo decreſcat, & aſcendendo exterius interius in profundum deſcendat?* Quae ſententia tantum obtinuit auctoritatis, ut in libros decretorum Summorum Pontificum *Can. 2. cauſſa 1. quaeſt. 6. & Cap. ult. de Simonia* relata ſit. Id ipſum etiam S. Auguſtinus *IX. de Civitate Dei, & Can. qui Epiſc. c. 1. q. 8. A* ,, *ſtudio* (inquit) *cognoſcendae veritatis nemo pro-* ,, *hibetur, quod ad laudabile pertinet otium; locus* ,, *autem ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt,* ,, *etſi ita teneatur, atque adminiſtretur, ut de-* ,, *cet, tamen non decenter appetitur; quam ſar-*

 cinam

,, *cinam si nullus imponit , percipienda , atque* ,, *intuenda vacandum est veritati* ; & alibi, nempe Moral. *lib. XXVIII.* multo apertius ac brevius: ,, *Prælatia secundum meliorem intentionem* ,, *fugienda est* ,, . Neque aliud Chrysostomus Hom. xxxv. *Oper. imperf. tom.* 2. super illud *audientes decem indignati sunt* ; ait enim *primatus fugientem se desiderare* , *& desiderantem se horrere* ; & rursus paucos post versiculos, *Primatus Ecclesiasticos concupiscere neque justum esse*, *neque utile*. Hujusque sententia tanta summis visa est Pontificibus, ut ad Ecclesiæ usum legibus ipsorum mandata sit ; ut glossographus ipse expresse fateatur , *qui Episcopatum desiderat in terra* , *inveniet confusionem in Cælo* ; ut & permulti viri Sanctissimi ita facere consueverint; & en quod dixi , etiam jus liberum , quod moribus constituitur, ne Episcopalis dignitas appetatur, prohibere . Quamquam, quid hæc testimonia producimus ; quum hujus disciplinæ & plena sint omnia Ecclesiastica volumina, & præcipue aureum illud de Sacerdotio Chrysostomi opus ? & hujus disciplinæ normam vel ab ipsis Ethnicis Philosophis possimus accipere? Interpello Euripidem in Glauco; affirmat ipse, *hominem Deorum decus cupere*

non

non oportere. Decus autem Deorum non cupere temporibus nostris non est appetere Divinos honores exhiberi sibi, & in mortali carne ab hominibus adorari, sicut gentes olim, sed præcipuum illum, atque divinum Apostolorum honorem, de quo Paulus ad Hebr. Cap. v. 4. loquitur: *nemo sibi usurpet honorem, nisi vocatus a Deo*; qui ad gubernationem animarum perpetua successione in Episcopis conservatur, omnibusque politicis Magistratibus Civilique etiam Imperio præstat, & antecellit. Demosthenem interpello in *Leptinen*. Refert enim, bona cuncta speranda quidem, sed tamen speranda esse & humana, ob idque ea enixis precibus petenda esse a Deo O. M. quæ ad recte, honesteque vivendum profutura sunt, non autem gradus honorum, & Magistratus, qui vel nobis non expediunt, vel obesse possunt. Interpello Sophoclem in *Flagellifero*, ubi demonstrat, mortalis generis humani naturam hoc vitio maxime premi, quod terrena, quæ ad tranquillæ, honestæque vitæ usum conducunt, postmittat, honoresque solum superiores, majestatem, potestatemque, atque etiam multo majora suspiciat, atque inquirat. Interpello Platonem perennis Philosophiæ fontem, qui non

immerito ab antiquis Philoſophis cœleſtis, ac prope divinus creditus eſt. In lib. enim *de Repub. Dialog.* 1. pluribus rationibus, argumentiſque indicat, in Civitatibus politiorum hominum tunc conſervari Societatem, cum Cives, ut ut cæteris præſtantiores, aliorum moderatores neque cupiunt fieri, neque volunt, etiam conſulendæ Reipublicæ cauſſa, & pro communi utilitate, ac ſingulorum; quique, ſi in populorum rem univerſi Ordinis judicio ad regendum aſſumantur, aſſenſum cohibent, nec conquieſcunt, niſi cauſſis antecedentibus, & neceſſariis poſtulantibus; ac ita demum ægriori animo, ac quodammodo recuſantes adminiſtrationem ſuſcipiunt velut rem arduam, & difficilem, complurium inter ſe pugnantium, ac diſſidentium judiciorum, negotiumque innumerabilibus moleſtiis, operiſque laboribus complicatum. Quid quod? is ipſe in eodem loco magiſtratus hominibus non appetendos, ne ſimultas inter æmulos oriatur, ſcribit. Putabat enim vir doctiſſimus, cives tam procul ab invidia, & ſeditionibus permanſuros, quam longe abeſſent a cupiditate imperandi; imo in hominibus, qui nulla hujuſmodi ſollicitudine afficiuntur, ſedem, & fundamentum ponit ju-

ſtitiæ

ſtitiæ ſuæ, injuſtitiæ vero contra, cum in honorum, gloriæque cupiditatem inciderint, quæ juſtitiæ ſemper eſt inimica.

Proſequuntur qui contra ſentiunt: Epiſcopatus in Opere bono, & dignitate conſiſtit; ſed glorioſum eſt appetere bonum opus, *Sap. cap. III.* 15. ergo appetere Epiſcopatum glorioſum eſt. Nil concludit; quod ſi concludere contendas, convertam ſic argumentum per commutationem alterius partis, & non minus eodem ad convincendum enitar. Epiſcopatus opere conſtat, & dignitate, ſed dignitatem appetere vitioſum eſt, ſcriptum eſt enim: *nolite exaltare in altum cornu veſtrum*, *Pſal.* lxxiv. *verſ.* 6. *non te extollas in cogitatione animæ tuæ*, *velut Taurus*, *& noli quærere ab homine ducatum*, *neque a Rege cathedram honoris*; *Eccleſ. cap.* vi. 2. *cap.* vii. 4. ergo Epiſcopatum appetere vitioſum eſt.

Nil etiam concludit argumentum eorum alterum: Epiſcopatus eſt ad virtutem ampliorem aſcenſus; at hunc aſcenſum expetere honeſtiſſimum eſt, ergo & honeſtum eſt Epiſcopatum appetere: ergo ne enim qui Epiſcopatum adipiſcitur, ſtatim ad virtutum gradum aſcendiſſe ille dicendus eſt? quid magis ridiculum? vel ego ipſe, ajebat S. Hieronymus, ſi hoc ve-

rum esset, totis vellem viribus contendere, ut Episcopatum adipiscerer, quo tandem ad virtutis gradum ascenderem.

Superest postremum eorum, quod paucis refellam, argumentum. Quidquid (ajunt) fructuosum est, & per se ipsum laudabile, desiderandum est; sed Episcopatus est munus officii fructuosum, quo populis prodesse possumus, & per se laudabile, cum sit excellens virtutis operatio, & in ipsa virtute situs; igitur Episcopatus desiderandus est. Quidquid fructuosum est, & per se ipsum laudabile, illud esse desiderandum, concedo; concedo, Episcopatum munus esse officii fructuosi, ac per se laudabile; ergo desiderandus Episcopatus est, concedo; vide quam liberius in eorum sententiam descendam; sed quando id verum? tunc si Episcopatus ut opus hominibus apprime utile, & per se ipsum absque ullo privati officii, & propriæ personæ respectu consideretur; non vero si consideretur ut officium personæ omnium præstantissimæ accommodatum; tunc enim usque adeo illicitum est Episcopatum appetere, ut, cum nobis non appetentibus ultro defertur, non defugere cum aliqua verecundia, & quodammodo recusare, illud neque modestum, neque ingenuum reputetur. Sed de

hac

hac quæstione satis; ad Episcoporum electionem postulationemque descendo.

Electionis Canonicæ ratio pro varia temporum ratione varia fuit: tempore namque Apostolorum penes totam Ecclesiam fuit; naturale namque est, ut quilibet cœtus ea possit, quæ ad sui præcipue conservationem necessaria videntur, quo præcipue spectat ministrorum Ecclesiasticorum electio, a quibus Ecclesiasticus cœtus dirigitur, ordinare; sed imposterum populus suas quoque habebat in Episcoporum electione partes; quod certe fuerat veteris Testamenti disciplinæ conforme; præceperat enim Dominus Moysi dicens: „ *apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam ejus, & indue Elazarum filium ejus, & Aaron appositus moriatur illic* „ ut sic (notante Cypriano epist. 69. *Editionis Rigaltii*) plebe præsente vel detegerentur malorum crimina, vel bonorum merita præmiarentur & sic ordinatio justa, & legitima judicio omnium, & suffragio comprobaretur; hanc autem disciplinam novit tam Ecclesia Latina, quam Græca.

Cæterum, quod ad Græcam pertinet Ecclesiam,

fiam, in Nicæna secunda Synodo constitutum tandem a Patribus fuit; Episcopos a solis provinciæ Episcopis eligendos esse; firmius robur huic Nicænæ Synodo additum ab octava; & septima Synodo fuit, cujus Canon, uti notat Marca *de Concor. S. & I. lib. 6. cap. 2.* §. 8. habetur in versione Anastasii Bibliothecarii, tametsi inter græcos Canones non reperiatur.

Quod vero ad Ecclesiam attinet Latinam, diutius ea jus electionum & Clero, & Laicis, velque ipsis etiam Gregorii septimi temporibus, sæculo scilicet undecimo, uti ex ejus Epistolis patet *lib. 1. Epist.* 35. 36. *lib.* 2. *Epist.* 50. *lib.* 5. *Epist.* 3. 5. 8. 11. *lib.* 6. *Epist.* 2. 1. *lib.* 8. *Epist.* 1. 3. 18. 19. 20. *lib.* 9. *Epist.* 18. permisit, dummodo post sæculum quintum Regum etiam consensum in electione Episcoporum visum fuisse necessarium observes. Ergo in fine sæc. XII. Clerus, & populus jus electionum amisit, translatumque fuit ad Ecclesiarum Cathedralium Canonicos, populo tamen Gallico, uti observat Marca *de Concordia S. & I. lib.* 6. *Cap.* 2. excepto; „ *populus enim* (ait) *diutius jus suum* „ *in Gallia retinuit, quum alibi. Certe ævo Divi* „ *Bernardi hoc est* 12. *Sæculo electiones episcoporum* „ *Cabilonensis, & Gebennensis facta sunt cum con-*

„ *sen-*

„ *sensu populi*, *quamvis in aliis quibusdam Ec-*
„ *clesiis eas Clerus perageret cum consensu Mona-*
„ *chorum Diœceseos*.

Quid amplius? etiam progressu temporis Capitula cathedralium Ecclesiarum ab electione Episcoporum fuerunt exclusa, cæpitque jus electionis Episcopalis a Pontificibus sibi ipsis reservari; reservationes tamen istæ non fuerunt ubique receptæ teste *Van-Espen p. 1. tit. 13. de electione, & nominatione Episcoporum* §. 5. hisce
„ verbis: *verum reservationes illæ non ubique*
„ *receptæ fuerunt, aut probatæ, renitentibus tum*
„ *Episcopis, Capitulis, & patronis, quibus jus*
„ *eligendi, conferendi, & præsentandi pene omne*
„ *per has adimebatur, tum etiam Regibus, &*
„ *Principibus Vassallorum suorum, atque subdi-*
„ *torum jura tuentibus, quippe qui malebant pe-*
„ *nes Capitula, aliosque sibi subditos esse jus ele-*
„ *ctionis, quam penes Pontifices: nec enim metue-*
„ *bant Principes, ne manente electione apud Ca-*
„ *pitula sibi subdita facile aliquis sibi non gra-*
„ *tus aut in sui Regni negotiis suspectus ad præ-*
„ *laturam eligeretur, quod contra, manente apud*
„ *Pontifices provisione, se metuere per provisionem*
„ *extraneorum dicebant*: id certum: dummodo tamen Principis consensum, quemadmodum & præcedentibus sæculis obtinuit, necessarium

sem-

semper visum fuisse observes; sed istæ reservationes, quas sibi fecerunt Pontifices, non potuerunt, quin magnas tum dissensiones, tum controversias inter Capitula, quibus jus electionum ademptum, & Pontifices, qui illud sibi reservarunt, generarent; sic ut propterea videri cœperit æquum, ut electiones Episcoporum Capitulis iterum restituerentur: tentata res fuit in Concilio Constantiensi, verum res suum non est sortita effectum; quare iterum in sequenti Concilio Basileensi institerunt patres Ecclesiæ præcipue Gallicanæ, ut reservationes tandem abrogarentur, suique voti fuerunt compotes facti, fuitque hujus abrogationis decretum *in sessione* 23. ejusdem Concilii sub titulo *pragmatica sanctionis* evulgatum. Quod fecerunt Gallicani Antistites, fecerunt & Germani. Quemadmodum enim de sublatis Capitulorum juribus conquesti fuerunt Galli, ita & Germani, quos propterea inter, & Apostolicam Sedem, tranquillitatis pacisque caussa, inita concordia fuit; illud ergo jus recuperarunt Capitula, quod plebs populusve semel amissum recuperare numquam potuit: cur enim iterum restituere plebi jus illud quo abutebatur? Certa enim aut propensione, aut ignorantia sua pro minus idoneo,

neo, pro minus digno vota ferebat, quod puto in causa fuisse ut quandoque certi a plebe electi Episcopi rejicerentur; quis enim subscriberet Episcoporum, qui minus essent digni, electioni? quod etiam puto fuisse tanti, ut interdum sine plebis consensu Metropolitanus cum Episcopis suffraganeis ordinaret Epipum, tunc scilicet, quum persona aliqua Divino indicio ad Ecclesiæ regimen videretur vocata; verendum enim erat, ne, si expectanda fuissent plebis vota, contraria divinis essent suffragiis, quæ ubi habentur, non sunt humana testimonia expectanda, uti habet Cyprianus scribens ad Clerum, populumque suum: *In ordinandis* (ait) *Clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, & mores, & merita singulorum communi consilio ponderare, sed expectanda non sunt testimonia humana, quum præcedunt divina suffragia*.

Rite, recteque facta electione, confirmatio sequatur, necessum est: primitus hæc spectabat ad Metropolitanum cum suis Episcopis eo etiam tempore, quo populus suffragia ferebat; ubi enim a Clero, populoque quispiam dignus fuisset in Episcopum electus, ubi Clericorum, Monachorum, laicorumque fuisset munita sub-

scri-

scriptione, Metropolitanus, convocatis suæ provinciæ Episcopis, cum in qualitates intendebat animum; & ubi nil esset, quod opponeretur, electum, Episcoporum suæ provinciæ consensu, in Episcopum confirmabat, eumque cum literis Canonicis, quibus novus Episcopus instruebatur, ad Ecclesiam sibi commissam mittebat; hujus autem rei perhibet testimonium *Canon 4. Nicænus*, & *Canon 14. Synodi Laodicena*.

Hæc disciplina per 13. sæculorum spatium mansit incolumis, & illibata; id notat *Van-Espen in titulo de confirmatione Episcoporum* §. 4. ibi: *hæc disciplina Metropolitano confirmationem suorum suffraganeorum attribuens per tredecim facile sæcula inconcussa permansit, eamque & jus commune decretalium Gregorii IX. apertissime supponit, & confirmat, unde uno consensu tradunt Canonistæ, Episcopum de jure communi confirmandam esse a suo Metropolitano*. Nec longe ab eo ivit Marca sequentibus verbis: *Itaque si nihil canonici obstaret impedimenti, Metropolitanus per tredecim fere sæcula cum Coepiscopis suis ordinabat electum, ac dein illi literas tribuebat, quibus fidem faceret ordinationis, aliasque insuper ad Clerum, & populum Ecclesiæ, cui ordinatus erat Episcopus juxta Canones Africanos*,

canos, *qui ordinatos ab Episcopis jubent accipere litteras ab ordinatoribus suis*; ne autem frustra ad Africanos Canones provocare videatur, utitur *Canone* 89. *Codicis Ecclesiæ Africanæ*, cujus hæc sunt verba: „ *deinde placuit*, *ut* „ *quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur per* „ *Provincias Africanas*, *litteras accipiant ab or-* „ *dinatoribus suis manu eorum subscriptas conti-* „ *nentes Consulem*, *& diem*, *ut nulla alteratio* „ *de posterioribus*, *vel anterioribus oriatur*. “

Cæterum si Metropolitanus electum ordinare recusabat, ad Pontificem Romanum appellatio fiebat; hujus rei perhibet exemplum Natalis Alexander historiam narrans Ecclesiasticam Sæculi 11. & 12. provocatque ad Ivonem Carnotensem Episcopum; quum enim Ivo a Richerio Genovensi Metropolitano confirmationis immerito passus esset repulsam, a Canonicis Carnotensibus perductus Romam fuit, atque ab Urbano secundo consecratus; verum quum Richerius Metropolitanus Genovensis ei objiceret, sedis Metropolitanæ dignitatem imminuisse, & Regiam offendisse Majestatem, respondit Ivo in *Epistola* 81. nihil contra jus in sua peractum consecratione fuisse ob id, **quod Sedis erat Apostolicæ, nedum Metropolitanorum, verum & Episcoporum omnium** ele-

electiones, & consecrationes confirmare; non erit abs re integra epistolæ verba referre: „ est & aliud in quo evidentissime & irreverentissime os vestrum posuistis in Cœlum, & lingua vestra transivit in terra, quum benedictionem per manus impositionem Papæ datam, & Cardinalium Romanæ Ecclesiæ, non simpliciter benedictionem, sed qualemcumque hostili irrisione appellastis, quum ad ipsum principaliter, & generalissime pertineat tam metropolitanorum, quam cæterorum Episcoporum consecrationem, vel confirmare, vel infirmare, consecrationes vestras, & judicia retractare; suas vero inconcussas retinere, & nullius inferioris judicio retractandas, vel corrigendas concedere: Hæc ille.

Ad Metropolitanum nedum confirmatio electionis pertinebat, verum & quandoque electio ipsa; quid enim si electores scienter virum in Episcopum elegissent indignum? hoc certe in casu Metropolitani erat ad electionem cum Coepiscopis provinciæ suæ devenire; id notat Marca *de Concordia S. & I. lib. 6. cap.* 3. utiturque auctoritate Hincmari *in formula* 4 *si electores* (ait) *scienter, & industria virum elegissent, qui secundum Canones aliquo impedimento teneretur; eis pœna imponebatur ob contemptum Canonum; & Metropolitanus eo casu electionem celebrat cum Episcopis*

pis Comprovincialibus; *judicium autem illud circa vitium electi fiebat a Metropolitano*, *& Episcopis*, *ut patet ex Hincmaro in formula* 4.

Quum confirmatio Episcoporum per plura sæcula cum consecratione manserit conjuncta, factum proinde fuit, ut quando confirmatio Episcoporum ad Metropolitanum spectabat, ita & spectaret consecratio, ea ferme ratione qua, ubi nondum erat beneficiorum collatio a Sacra ordinatione distincta, non aliorum erat beneficia conferre, quam eorum, quorum erat ad Sacrorum Ordinum collationem devenire...

Cæterum in consecratione, quemadmodum & in confirmatione visa vel primis Ecclesiæ Sæculis necessaria fuit Episcoporum suffraganeorum præsentia; num omnium? id admodum erat difficile; proinde *Canone Niceno IV.* cautum fuit, ut saltem tres Episcopi debeant esse præsentes; hujusce disciplinæ rationem apud Gratianum elegantem dedit Innocentius I. *in Can.* 4. *distinct.* 60. sumto ex Epistola ad Victricium; *ne unus* (ait) *Episcopus ordinare præsumat Episcopum*, *ne furtivum beneficium præstitum videatur*: quasi dixisset, ne Episcopus, qui ordinatur, tamquam fur clam in Ovile Christi ingrediatur, quando publice ingredi, idest Ecclesia universa probante, & assentiente debet.

N Ve-

Verum si cogat necessitas, a duobus tantummodo fiat consecratio; quid ni & ab uno, quemadmodum legimus factum in consecratione Syderii Palæbissæ Episcopi? narrat enim Synesius in Epistola 67. hunc Episcopum a Philone Cyrenensi solo fuisse ordinatum ob id, quod in temporibus formidolosis summum jus prætermitti necessum est.

Hanc autem Doctrinam descriptam invenimus in Constitutionibus vulgo Apostolorum *lib.* 3. *Cap.* 20. *jubemus* (legitur ibi) *ut a tribus Episcopis Episcopus ordinetur, & ut minimum a duobus, ita ut ab uno constitui non possit; testimonium enim duorum, & trium firmius est & certius.*

Verum notat Baluzius *in notis ad Marcam*, consecrationes Episcoporum nunc ad summos pertinere Pontifices; en verba: „ *in eo tamen* „ *nunc obtinet Summi Pontificis jurisdictio, ut ad* „ *ipsum pertineat Episcoporum consecratio; & con-* „ *firmatio.* " Unde in Pontificali R: sub *titulo de Consecratione electi in Episcopum* hæc habentur: *nemo consecrari debet nisi prius constet consesecratori de commissione consecrandi; sive per literas Apostolicas si sit extra curiam; sive per commissionem vivæ vocis oraculo a Summo Pontifice consecratori factam, si consecrator ipse sit Cardinalis.*

Quum

Quum ageretur de quibusdam Episcopis, qui, ubi confirmati fuerant, consecrationem negligebant, ob id, quod ut ut tantum confirmati non consecrati poterant ea, quæ suæ sunt jurisdictionis exercere, hoc ubi novit Synodus Tridentina, præcepit, ut Episcopi intra tres menses a confirmatione numerandos consecrationem petere, sub pœna restitutionis fructuum perceptorum, teneantur, eosque maneat pœna adhuc gravior, si hanc restitutionis fructuum pœnam non veriti tres alios menses præterlabi sinant; cadant scilicet a jure Ecclesiæ.

Olim ante consecrationem, quando ea Metropolitanis competebat, Episcopi professionem obbedientiæ sine juramento tamen præstabant, hæcque ad meram Canonum observantiam redigebatur, idque usque ad tempora Greg. VII notante Van-Espen *in tit. de consecratione Episcoporum*, duravit; sed quando consecratio devolvi ad Summum Pontificem cœpit, tunc factum, ut hæc professio obedientiæ juramento roborata præstanda ante consecrationem ab Episcopis Romano Pontifici esset. Ut autem in eorum temporum disciplina, quibus Metropolitani ab Episcopis exigebant Fidei professionem, insistam, celebre est quod scripsit Ivo

Carnotensis Archiepiscopi Senonensis suffraganeus in *Epist.* 62. nimirum quum Hugo Lugdunensis Archiepiscopus, Romanæque Ecclesiæ Legatus Ivonem Carnotensem, a quo celebraretur Nivernensis ordinatio, avocasset, quumque ei nunciasset Hugo, se peragere ordinationem, omisso Archiepiscopo Senonensi, ad cujus Metropolim pertinet Nivernensis Ecclesia, destinasse, respondit Ivo, se vereri, ne, si consecrationem, inconsulto Archiepiscopo Senonensi, celebraret, reus exinde fieret violatæ Fidei, quam Metropolitano fecerat eo tempore quo ordinatus fuerat. Celebre etiam est, quod alibi idem Ivo scripsit, idest in *Epistola* *LXXIII.* ,, *quomodo enim* (inquit) *connexa sibi ad*
,, *invicem poterunt esse membra Corporis Christi*,
,, *nisi dispensatores canonicarum, vel Monastica-*
,, *rum congregationum eam obedientiam exhibeant*
,, *prælatis suis, quam sibi exhiberi volunt a sub-*
,, *ditis suis? .... debitores autem esse, qui ad di-*
,, *gnitates promoventur Ecclesiasticas, promittendæ*
,, *obedientiæ testatur Concilium Toletanum XL. ipse*
,, *enim Summus Pontifex, antea quam consecratio-*
,, *nis gratiam consequatur, consuetudines Romanæ*
,, *Ecclesiæ, & decreta prædecessorum se inviolabiliter*
,, *servaturum profitetur. Sic reliqui Pontifices ante*
,, *consecrationem examinantur; omnem veterum*

,, *ma-*

„ *morem, honestatem, & debitam obedientiam se*
„ *exhibituros suis ordinatoribus pollicentur*; quare recte Eadmerus in vita S. Anselmi de quibusdam conqueritur Episcopis hisce verbis: *quidam ex Episcopis Archiepiscopo suo omnem subjectionem, professamque obedientiam uno impetu negant*. Nunc mihi esset exponendus consecrationis ritus, verum quum de re agatur facili, eam silentio prætereundam puto; si tamen id scire cupis, adire Van-Espen *in tit. de consecratione Episcoporum Cap.* 4. potes.

Qui vero sit tum confirmationis, tum consecrationis effectus, captu facillimum est; olim namque, quando nondum discreta erat consecratio a confirmatione, effectus tum consecrationis, tum confirmationis simul confundebatur; at vero, ubi disjungi cœpit confirmatio a consecratione, effectus, qui ex confirmatione nascitur, ab effectu, qui nascitur ex consecratione, fuit omnino sejunctus; effectus enim confirmationis ejusmodi fuit, ut ea obtenta posset confirmatus ea, quæ ad jurisdictionem Episcopalem spectant, exercere; effectus autem consecrationis, ut, ea obtenta, posset consecratus exercere quæ sunt ordinis, ut merito inde omnes jurisdictionem, potestatemque Episcopalem in duplicem classem divi-

 di,

di, in potestatem scilicet ordinis, & potestatem jurisdictionis agnoscant: hacce de Jurisdictione quoniam incidit sermo, quo jure profluat, Divinone, an Ecclesiastico, quæritur.

Sunt nonnulli, qui eam a Jure Ecclesiastico descendere opinantur; horum argumentum videamus: Fagnanum volo; provocat ille ad textum Actus Apostolorum 20. *attendite vobis & universo Gregi in quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; atque ita ratiocinatur: aut verbum illud *Ecclesiam* volumus intelligere de Ecclesia Universali respectu singulorum Episcoporum, ita ut quilibet Episcopus sit positus à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Universalem, & hoc est erroneum: hæc namque potestas data est soli Petro Apostolorum Principi, & Romanis Pontificibus illius successoribus; alioquin tot essent Summi Pontifices, quot sunt Episcopi, contra unitatem Ecclesiæ, & Catholicam veritatem; aut volumus intelligere prædictam auctoritatem de singularibus Ecclesiis; ita ut quilibet Episcopus positus sit a Spiritu Sancto regere suam Ecclesiam particularem, & ita concurrant omnes collective ad regimen Universalis Ecclesiæ; & hoc similiter est falsum, quia Christus populos Apo-

sto-

ſtolis non diviſit, & multo minus Epiſcopis illorum ſucceſſoribus ; ſed dixit omnibus, & ſingulis, *docete omnes gentes & Marc. ultimo, prædicate Evangelium omni creaturæ Matth. ultimo ; quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in Cœlo*, Matth. 18. *& quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, *Joan.* 20. hanc ergo limitationem diviſionemque juriſdictionis fuiſſe factam immediate a Chriſto, quum ex Evangelio haberi non poſſit, fingere noſtrum non eſt ; ſupereſt ergo, ut Apoſtolis, & aliis Epiſcopis Eccleſiæ, & ſubditis juriſdictio immediate primum a Petro, & deinde a ſummis Pontificibus ejus ſucceſſoribus fuerit præfinita, atque ita Epiſcopi conſtituti ſunt a Spiritu Sancto ad regimen Eccleſiæ mediante juriſdictione, qua ſingulis a Pontifice tribuitur, ac præfinitur. Hactenus Fagnanus ; hanc tamen ejus aliorumque qui Fagnanum ſequuntur, argumentationem refellit Vir doctus de ſtatu Eccleſiæ in *titulo de juribus Epiſcoporum* §. 3. en ejus verba : *Nos adverſus* „ *hæc* (Fagnani ſcilicet, aliorumque) *probamus* „ *unum*, *eumque indiviſum a Chriſto inſtitutum* „ *eſſe Epiſcopatum*, *quem omnes Apoſtoli*, *& poſt* „ *eum Epiſcopi tenuerunt in ſolidum*, *diviſis poſtea* „ *diœceſibus quod ſub Apoſtolis fieri cœptum ; man*„ *ſit quidem ſolidaria illa primorum Eccleſiæ pa-*

 „ *ſto-*

,, *storum sollicitudo , & obligatio , sed sine præ-*
,, *judicio jurium cuique Episcopo in suo districtu ,*
,, *idest diœcesi privative attributorum singulis pa-*
,, *storibus.*

Nunc ponderanda sunt , ac producenda in medium ea argumenta, quibus utuntur ii , qui potestatem , seu jurisdictionem Episcoporum ex jure Divino profluere arbitrantur; in primis itaque ita ii ratiocinantur . Jurisdictio quam Petrus habebat , a Christo habebat ; quam habet Summus Pontifex , ob id quod Petri successor est , a Christo quoque habere certum est ; quam cæteri Apostoli auctoritatem habebant a Christo habuerunt , quid ni ergo & Apostolorum Successores , Episcopos dico, eam a Christo habere dicemus, adeo ut ita immediati juris divini existimetur? revera Apostolos potestatem suam immediate a Christo accepisse deducunt ex *Matthæo XVIII. V.* 18. & *Joanne XX. v.* 25. *quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata & in Cœlo* ; docent quoque ex *Marc. XVI. v.* 15. *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ* ; denique ex *Joannis XX. v.* 21. *sicut me misit pater, & ego mitto vos* ; quod etiam tradunt ex textu Actuum Apostolorum *Cap. XX. v.* 28. *vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam*

Dei

Dei. Deinde hoc alio utuntur argumenti genere, ac veluti antesignanus est Georgius Zischowid Seniensis Præsul: *si eorum* (ajebat) *auctoritas non veniat a Deo, neque illa conciliorum inde poterit derivari, hæc quippe aliud non sunt, quam conventus, & decreta Episcoporum*.

Confugiunt deinde ad auctoritatem S. Ambrosii *in Psalmum* 33. *pag.* 858. ibi: *hæc verba, tibi dabo claves Regni Cœlorum, ut solvas, & liges, referenda sunt ne dum ad Petrum, sed ad Apostolos omnes*; quamquam tamen, si verum fateri debeo, an hoc voluerit Ambrosius nesciam; quare ad solidius aliud eorum argumentum animum intendamus: in Ecclesia unus, idemque est Episcopatus; id notat Cyprianus *Epistola* 7. *de unitate Ecclesiæ*. *Unus Episcopatus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*; cui consentit S. Augustinus *lib.* 1. *contra duas Epistolas Pelagianorum Cap.* 1. *ad Bonifacium Romanum Pontificem* scribens: *Communis est nobis omnibus, qui fungimur Episcopatus Officio, specula pastoralis*; & alibi S. Cyprianus *Epistola* 68. *ad Stephanum* scribens: *Copiosum* (inquit) *Corpus est Sacerdotum concordia mutua glutine atque unitatis vinculo copulatum, ut, si quis ex Collegio nostro hæreses facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentaverit, subveniant cæteri .... nam*

etsi

etsi pastores multi sumus unum tamen gregem pascimus , & oves universas , quas Christus sanguine suo , & passione quaesivit , colligere , & fovere debemus ; eodemque sensu Nazianzenus Gregorius oratione *XVIII. in Laud. Cypriani pag.* 281. de Sancto Cypriano dicit , „ *quod* „ *Episcopus universalis fuerit , quod non Cartha-* „ *ginensi tantum Ecclesiae , nec Africae , verum* „ *occiduis omnibus Regionibus ac prope etiam Orien-* „ *tali omni atque Australi & Septentrionali orae* „ *praefectus fuerit* . Junge Petrum de Marca *de Concordia S. & I. lib.* 1. *Cap.* 2. *num.* 4. *ac Thomassinum parte* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 6. & 8.

Unus (repeto eorum argumentum) est in Ecclesia Episcpoatus , cujus caput est & primas Summus Pontifex , hunc Episcopatum institutum esse a Christo , quum nemo neget , neque Episcopatui annexam jurisdictionem a Christo repetendam negare (ajunt) debet ; quod si reponas , Apostolos solummodo , qui hunc olim constituebant Episcopatum utique a Christo , quam habebant , accepisse jurisdictionem , non autem eorum successores , sed potius a Pontifice , hoc perabsurdum esse hac argumenti vi respondent : Si enim (ajunt) , quam habent Successores Apostolorum jurisdictionem non debent accepto ferre a Christo ,

ne

ne Summus quidem Pontifex Petri Successor, quippe in hac parte par ratio esse Summi Pontificis, ac Episcoporum debet, utrique siquidem eumdem Episcopatum, quem unum diximus, componunt; est hoc absurdum, ergo & illud. Ad rem autem suam adhibent hanc S. Cyrilli phrasim: „ *euntes ite prædicate omni* „ *creaturæ Evangelium, sicut me misit Pater, &* „ *ego mitto vos, quiquid ligaveritis super terram* „ *erit ligatum & in Cœlis, quidquid solveritis* „ *super terram erit solutum & in Cœlis, utut* „ *dicta sint a Christo Apostolis a se constitutis,* „ *nec minus tamen conveniunt successoribus, quip-* „ *pe qui eamdem Apostolorum repræsentant perso-* „ *nam atque in eorum locum subrogati sunt; ni* „ *velis dicere, nec Summum Pontificem, qui suc-* „ *cessor Petri est, habere potestatem a Christo; er-* „ *go quemadmodum ligare Apostoli poterant, &* „ *solvere vi potestatis a Christo data, eadem po-* „ *testate ligare, & solvere poterunt successores eo-* „ *rum, nullusque quoad hoc altero superior erit,* „ *aut major, nullus alterius in hac parte jus,* „ *& potestatem restringere potest; quippequa omni-* „ *bus eadem plenitudine data fuit, & indepen-* „ *dentia, idemque est quoad facultatem enunciandi* „ *Evangelium, euntes ergo docete omnes gentes ba-*

„ *pti-*

„ *ptizantes eos in nomine Patris , & Filii , &*
„ *Spiritus Sancti* .

Hincque intelligunt, qui ita sentiunt, quid velit Gregorius Magnus in *Epistola* 43. dum scribit: *omnes Episcopi pro Christo legatione funguntur , omnes sunt a Spiritu Sancto positi regere Ecclesiam Dei*; *omnibus dictum est a Christo , accipite Spiritum Sanctum , quorum remiseritis peccata* &c. Hinc intelligunt, quid velit Synodus Toletana VIII. dum hac phrasi utitur: *Episcopalis Eminentia divina auctoritas* . Intelligunt, quid velit Innocentius III. *in Capitulo* 10. *de translatione Episcoporum* , dum scribit, Matrimonium Spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam intercedere, illudque esse vinculum a Deo institutum nulla humana potestate rumpendum .

Hactenus argumenta quæ solent in utramque partem adferri. Quæ vincat opinio, unusquisque deliberet , ac meditetur . Quidquid tamen sit de hac re, unicuique Episcopo auctoritas sua, seu jurisdictio servanda est; unicuique servanda sunt Episcopalia jura , adeo ut audere nemo debeat ea evellere , ac eradicare. Verum hic quæstio, utrum hæc jura Episcopalia possint saltem præscribi; falso sentiunt

tiunt tum ii, qui negant, tum qui affirmant; media enim ineunda via eſt, opus diſtinctione videtur; refert enim, de Epiſcopalibus ne juribus minus eſſentialibus, an de eſſentialibus diſputetur. Si primum, quin ea poſſint præſcribi, non dubitamus; negamus, ſi circa eſſentialia incidat ſermo. Si enim agnovere Summi Pontifices, Eccleſiarum privilegia auctoritate Patrum inſtituta nulla poſſe novitate convelli, aut mutari, quanto magis jura Epiſcoporum intemerata eſſe debebunt? *Canone* 2. 3. 5. 10. 11. *Can.* 15. *quæſt.* 2. Quod igitur Chriſtus Matthæi *Cap.* 18. *verſ.* 18. dixit Apoſtolis, & in eorum perſona Epiſcopis, *quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in Cælo, quæcumque ſolveritis ſuper terram, ſoluta erunt & in Cælo*, a nemine poterit deſtrui, neque titulo præſcriptionis, aut alia quacumque via poterit abrogari; nam uti argumentatur Febronius de ſtatu Eccleſiæ *Cap.* 8. poteſtas ligandi, atque ſolvendi quum Epiſcopis a Chriſto data ſit, non ad eorum privatum commodum, ſed ad animarum ſalutem, ſi hæc poteſtas poſſet præſcribi, dicendum eſſet, poſſe & animarum ſalutem abdicari, & negligi: „ *ſcilicet poteſtas* (ait) *ligandi, atque ſolvendi* „ *a Chriſto Epiſcopis data eſt, non propter priva-*

„ *tum*

„ *tum eorum commodum , sed ad servitium , &*
„ *salutem fidelium eorum cura creditorum. Itaque*
„ *gregi fidelium , & saluti animarum nocetur ne-*
„ *glectu , atque abdicatione jurium Episcopalium ,*
„ *tum propter causarum , & negotiorum Ecclesia-*
„ *sticorum retardatam expeditionem , tum propter*
„ *infinitos sumptus , ut alia hic praetermittam ; at*
„ *contra voluntatem , & mandatum Christi , con-*
„ *tra Evangelium , contra jus gentium , denique*
„ *contra commoda publica Christiani ordinis non*
„ *praescribitur* . Quod diximus de hoc jure Episcoporum a Christo iisdem concesso , *quaecumque ligaveritis , ligata erunt , quaecumque solveritis , erunt soluta* , dicas idem de hoc alio praecepto , *praedicate Evangelium Dei* ; est enim & hoc essentiale Episcoporum jus , quod ab iis avelli nulla ratione , ne per praescriptionem quidem posse decernimus.

Quum omne Ministerium suum habeat locum , & quasi circulum , intra quem contineatur , ne vagae sint expeditiones , Episcopi propterea Ecclesiaeque Ministri se intra divisionis factae limites contineant ; ne audeant extra suam Dioecesim Jurisdictionis actum exercere , curent Dioecesim suam , alias vero suis relinquant pastoribus juxta praeceptum Pauli : *attendite vobis , & universo gregi , in quo vos*

Spi-

Spiritus Sanctus posuit Episcopos, *Actorum XX. versic.* 28. juxta monitum Petri: *attendite gregi, qui vobis est commissus*, *I. Petr.* 5. *vers.* 2. juxta Concilii Carthaginensis 3. decretum, *ut a nullo Episcopo usurpentur alterius pastoris greges, nec aliquis Episcopus supergrediatur in Diœcesi Collegam suum*. Ne autem quis credat, hanc divisionem (scilicet Diœceseon) cujus vi factum, ut unicuique Episcopo certa Diœcesis, in qua suam exerceat jurisdictionem, assignata fuerit, esse contra præceptum Dei, qui Apostolis ubicumque eam exercendi fecit potestatem; hoc enim ad interpretationem voluntatis divinæ, non ad ejus mutationem fuisse factum definimus; aliud enim est voluntatis divinæ decretum immutare, aliud est divinam voluntatem interpretari; illud, quia est contra divinam ipsam voluntatem, negamus; hoc vero concedimus, ejus enim voluntati apprime convenit.

Norint ergo Episcopi, se utique habere in Ecclesia potestatem, seu jurisdictionem, at norint etiam, plura eos onera, eademque gravissima manere, quæ paucis describam.

In primis se se offert gravitas morum, honestas vitæ & exemplaris. Si enim decet alios ornatos esse virtutibus, graves moribus esse, & inculpatos quoad vitam, & exemplarem

(ut

(ut adhibeam Augustini phrasim) conversationem, tanto magis id decet Ministros Ecclesiæ Dei. Nam, ut ait Nazianzenus, qui bene docet, male autem vivit, quod una manu construit, altera destruit; hocque ipsum est, quod vulgo dicitur, bonum pastorem non solum verbo, sed etiam exemplo præire debere; *verbo*, prædicatione scilicet sancta, *exemplo*, vita nempe honesta, & inculpata. Justissimum ergo est Pauli præceptum ad Timotheum Epistola I. „ *Si quis Episcopatum desiderat, bonum* „ *opus desiderat, oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, modestum, sua domui bene præpositum*; & in Epistola ad Titum: *oportet* „ *Episcopum sine crimine esse, benignum, sobrium,* „ *justum, sanctum, continentem*; hincque intelligimus, quid sibi velint verba, quæ in Sacris Literis a Christo prolata leguntur: „ *vos estis* „ *sal terræ; quod si sal evanuerit, in quo salietur?* „ Nam, uti argumentatur Augustinus, ea ejusmodi sensum habent, ut Episcopi tum exemplo, tum honestate vitæ efficiant, ut ab hominibus impietatis error auferatur; sal enim ipse interpretatur Episcopos Ministros Ecclesiæ; terram vero interpretatur homines; Augustini verba prostant in *lib. de de Serm. Domini in monte c. 6. tom. 4.*

Alte-

Alterum Episcopos manet onus; reformatio scilicet morum, quod habet a Christo originem, *attendite vobis, & Universo Gregi*; quibus certe reformandis nullus non lapis ab ipsis movendus; quod tamen quosdam non effecturos Jeremias Propheta prævidens ita *Cap.* 12. conquerebatur: „ *Pastores multi demoliti sunt vineam* „ *meam, conculcaverunt partem meam, dederunt* „ *portionem meam desiderabilem in desertum soli-* „ *tudinis, posuerunt eam in dissipationem, luxitque* „ *super me desolatione desolata est omnis terra.*

Habete, quam vere pulchrum ad hanc rem, reformationem scilicet morum, habeat Augustinus exemplum: „ *Campum* (ait) *si fertilem ha-* „ *beres, & amanum, si eum videres paulatim* „ *sterilem fieri, non mihi certe negas, te non cu-* „ *raturum quantum in te est, ut eum in statum* „ *fertilem redigeres, ut eum consuetis agricultu-* „ *ræ modis reformares; quare ergo Episcopi, si* „ *campum Dei, seu vineam, cujus cultores su-* „ *mus, videamus sterilem fieri, non curabimus,* „ *ut per reformationem morum hominum reddatur* „ *amænus, & sic adimpleamus opus, & ministe-* „ *rium Dei cui sumus destinati?* Igitur, quemadmodum tamquam fabricæ demolitor est, qui, quum eam collabentem cernat, non reformat; tamquam occisor est, qui, quum al-

O terum

terum possit a morte liberare, non liberat, tamquam Patriæ hostis, qui, quum eam liberare ab hostium invasione possit, id parum curat; ita tamquam destructores Ecclesiæ Dei, & dissipatores, erunt illi Ecclesiarum Ministri, qui, quum possint eam a moribus purgare corruptis, seu reformare, non purgant, non reformant, sic irritum facientes mandatum Dei. Quare recte Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana lib. 6. Cap. 1.* in hæc verba, *asserimus, debere Episcopum ea constituere, quæ ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, & Ecclesiasticam disciplinam, aut restituendam, aut fovendam necessaria, aut utilia esse judicaverit.*

Perfici reformatio triplici modo potest, monitis, & redargutione, prædicatione verbi Dei, ac Synodorum convocatione; monitis ergo in primis præceptisque utendum est, ut sic, si fieri possit, mores reformentur. Cæterum, quomodo in hisce monitis procedendum sit, dispiciant Episcopi oportet; etenim, antequam præcipiant, ac moneant, submoveant in primis vitia, quæ in animis mortalium pullulant, necessum est; nihil enim proficient præcepta, quamdiu menti error obfusus est; quemadmodum enim si quid est, quod oculis

oppo-

oppositum moretur aciem, illud removendum est, adeo ut, eo non abjecto, perdat operam ille, qui præcipit; eadem certe ratione ubi aliquid obcæcat animum, & ad officiorum dispiciendum ordinem impedit, nihil agit, qui præcipit; & quemadmodum stultum est præcipere ægro, quid facere tamquam sanus debeat, quum restituenda in primis sanitas sit, sine qua irrita sunt præcepta, ita stultum erit præcepta virtutis, quæ conveniunt iis, qui nihil habent, quod animum ad eam suscipiendam impediat, homini vitiis coinquinato dare, quum in primis vitiorum malum eradicandum sit. At dices: inutilia sunt præcepta, nam aut quæ præcipiuntur manifesta sunt, aut dubia; manifesta monitores non desiderant, præcipienti autem dubia non creditur, minime gentium; nam si id mones, quod obscurum est, & dubium, illud probationibus est adjuvandum; si vero præcipis quæ sunt aperta, & manifesta, adjiciendum est, quare illud præcipias: quamquam plurimum etiam prodest præcepta dare, quin adjiciatur causa; pleraque enim interdum scimus, non tamen ea attendimus. Scies ex. gr. amicitias sancte colendas, sed non facis; scies improbum esse eum, qui ab uxore dum exigit pudicitiam, interea

ipse alierarum corruptor uxorum est ; scies ; nihil tibi esse debere cum pellice, & non facis ; itaque subinde ea tibi per monitum reducenda in memoriam sunt ; adjicias ; aperta quoque apertiora solere fieri.

Quemquam olim subaudivi dicentem, inutilia præcepta esse hac argumenti vi : nemo præceptis curat insaniam, ergo ne malitiam quidem, ergo inutilia sunt præcepta : pessime : dissimile enim est ; nam si insaniam sustuleris, reddita sanitas est ; at si falsas opiniones excluserimus, non statim sequitur dispectus agendarum rerum ; & ubi admonitio sequatur, corroborabitur recta de bonis, malisque sententia. Si qua ergo monita Episcopi dederint, iis obtemperent Episcopis subditi juxta monitum Pauli in *Cap.* 13. *ad Romanos vers.* 1. & 2., „ *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita ; non enim potestas nisi a Deo, quæ autem sunt a Deo, ordinatæ sunt ; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit ; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* ; & *vers.* 3. post pauca hisce verbis utitur : *vis autem non timere potestatem ? bonum fac, & habebis laudem ex illa* ; & *vers.* 6. *ideo subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Verum quandoque parum

præcepta juvant, proindeque ad asperiores redargutiones devenire est; est tamen in hisce faciendis caute procedendum, pro ut scilicet personæ sunt quæ redarguuntur; sicut ut enim Ministri Ecclesiæ absque ullo personarum discrimine jubeantur peccantes redarguere 1. *Timoth.* 5. *verf.* 30. quod & divino convenit mandato *Exod.* 6. *verf.* 11. ubi Deus ad Mosem dicit: *ingredere*, *& loquere ad Pharaonem Regem Ægypti*, *ut dimittat filios*; utut, inquam, Ministri Ecclesiæ absque ullo personarum discrimine jubeantur peccantes redarguere, videant tamen; quomodo procedant: quemadmodum enim in aliorum hominum reprehensione opus prudentia est, quippe, ut ait Ambrosius, lib. 8. in Lucam, „ *plus proficit amica correptio quam* „ *turbulenta accusatio*, *illa pudorem incutit*, *hæc* „ *indignationem movet*; tanto magis hæc adhibenda est in Optimatuum reprehensione, cujus rei exemplum est in Nathane 2. *Sam.* 12. *verf.* 1. ne cæteroquin Spiritus Sancti officium, quod Ministri in reprehensione facienda agunt, ad seditionem excitandam degeneret.

Ergo ne videant Episcopi populum suum virtutem spernere, vitiis ac voluptatibus inservire? clament, ne cessent, quasi tuba exaltent vocem suam, & annuncient ei scelera ejus,

 juxta

juxta phrasim *Jehovæ Esai.* 58. *vers.* 1. Ministri enim Ecclesiæ est oviculas ita pascere, ut quod infirmum est, corroboret, ut ægrotum sanet, ut confractum consolidet, ut quod propulsum est, reducat, ut quod periit, requirat, *Ezech.* XXXIV. *v.* 4. Monstrent ei, quam altum quiddam sit virtus, quam excelsum, regale, invictum, infatigabile; monstrent ei, voluptatem esse quidpiam caducum, humile, servile, imbecille, cujus statio ac domicilium, ut ait Seneca, fornices, & popinæ sunt; monstrent ei, eam, tunc quum maxime delectat, extingui, tædio esse, & post primum impetum marcescere, adeo ut ea eo perveniat, ubi desinit, & dum incipit, habeat finem.

Sciunt ne Episcopi, certas sibi oves commissas libidini vacare? hasce aut per se, aut per alium carpant, monstrent eis hujus libidinis labem, quæ maxima certe est; licet enim avaros mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes injusta, vel bella, omnes isti virilius peccant; in Venerem, ac libidinem projectorum inhonestissima labes est.

Sciunt ne, Clerum & ambitioni servire, cultumque divinum flocci facere? foveant causam Dei; sic erit pax perpetua in Ecclesia, sic erit nobiscum Christus usque ad consum-

ma-

mationem sæculi : vident ne quempiam de grege suo Injustitiæ servire? hunc corripiant, hunc moneant, huic ante oculos ponant ; quam horrenda, ac informis sit injustitiæ facies ; monstrent quam sacra res justitia sit — neque expectent, ut ille per se, nemine excitante, ad justitiæ virtutem perveniat ; etenim humanis ingeniis præcipue imbecillioribus necessarium est aliquem præire : siquidem, si expectetur tempus, quo per se quid optimum factum sit, sciant, interim errabunt, & errando impedientur, quominus ad illud perveniant ; exemplo a pueris ducto, qui dum discunt scribere, digiti illorum tenentur, & aliena manu per literarum simulacra ducuntur.

Cernunt ne Sacramentorum abusum? Simonias, avaritiam, quam nosco in pluralitate beneficiorum a Sacris Canonibus detestatam, caveant, ne hæc dissimulent.

Potest reformatio morum etiam obtineri prædicatione verbi Dei, cui ut occurrant Episcopi, vacent necessum est Sacrarum literarum studio ; quomodo enim prædicabunt, quod nunquam didicerunt? Ut hinc vere scripserit Hieronymus in *Can. si quis distinct.* 36. si quis velit Pontifex esse, eum non tam vocabulo,

quam merito imitari Mosen, imitari Aaron oportere; quid enim dicitur de eis? dicitur, nunquam eos de tabernaculo Domini discessisse; quid autem id eis opus erat? ut a Deo aliquid discerent, quod populum docerent. Video qualis sit Hieronymi argumentatio; quemadmodum Moses, & Aaron manebant in Tabernaculo Domini, ut quidpiam a Domino discerent, quod populum inde docerent; ita & Ministri Ecclesiæ Dei incumbant sedulo literarum Sacrarum studio necessum est, ut & ii ediscant a Deo (nam legendo Scripturas divinas, & sæpius meditando a Deo discunt), quid docere populum suum, quomodo pascere gregem debeant.

Si correctio, & redargutio proficit ad reformandos mores, si proficit prædicatio verbi Dei, proficit quoque certe Synodorum Convocatio: quot enim eæ expulerunt hæreses? quot schismata, quot dissensiones? sed de hac alibi, opportuniorique loco.

Inter onera Episcoporum residentia in propria Diœcesi refertur; quum enim Episcopi teneantur gregem, ovesve pascere, quum teneantur eas docere, ac Sacramenta iis ministrare, an hoc possint commode, si sint absentes, peragere, nescio; quin se ipsi excusent, posse

posse id utique peragere, dummodo sibi vicarium, qui suas vices gerat, eligant. Nam, quum Apostolica hæcce officia personalia sint, quippe dum quis ad Episcopi dignitatem promovetur, ejus spectatur industria, non potest quoque non personalis esse residentia, quæ iis imminet; designatio ergo Vicarii ad hoc tantum proderit, ut possit Episcopos in Apostolica sollicitudine adjuvare, ac sublevare; sæpe enim contingit, ut Episcopi omnia, quæ sui muneris sunt, per se soli minime possint gerere.

Sardicense Concilium *Can.* 14. prohibuit, ne Episcopi ultra tres hebdomadas ab Ecclesiis suis abessent, si nulla esset tam gravis, quæ eos detineret, necessitas. Sanctus Athanasius in *Apolog. ad Constantium* scripsit, *certum esse ex lectione scripturarum, grande scelus esse Episcopum Ecclesiam suam deserere, & negligere gregem Dei.* Innocentius III. *in Capitulo qualiter de Clericis non residentibus* Archiepiscopum Ragusinum a sua Ecclesia per integrum quadriennium absentem, nisi intra mensem redeat, Archiepiscopatu excidisse declarat, & Ragusiensibus permittit, ut novum Archiepiscopum eligant; „ *discretioni vestræ mandamus* (inquit), *quatenus, nisi forsitan jam redieris, vos post men-*

„ *sem*

„ *fam a receptione præsentium personam vobis ido-*
„ *neam in Archiepiscopum eligatis.*

En quid Carolus Magnus in *Capitulari Aquis-*
„ *granensi* edito anno 789. *Cap.* 41. *non liceat*
„ *Episcopo principalem Cathedram suæ Parochiæ*
„ *negligere, & aliquam Ecclesiam in sua Diœcesi*
„ *magis frequentare* ». En quid habeat Augu-
stinus *Epistola* 138. „ *Illud noverit dilectio vestra,*
„ *numquam me absentem fuisse licentiosa liberta-*
„ *te, sed necessaria servitute, quæ sæpe sanctos*
„ *fratres, & collegas meos etiam labores marinos,*
„ *& transmarinos compulit sustinere, a quibus*
„ *me semper non indevotio mentis, sed minus ido-*
„ *nea valetudo corporis excusavit*:

Synesius ad Theophilum scribens circa Episcopos & Clericos non residentes *Epist.* 67. hæc habet: „ *vagantur apud nos vacantivi : hi certe*
„ *nullam sedem habere volunt; qui, quam habe-*
„ *bant, alteram reliquerunt non calamitate re-*
„ *pulsi, sed sponte locum mutantes : honoribus por-*
„ *ro fruuntur eo vagantes, ubi majus compen-*
„ *dium est; mihi vero ita videtur oportere iis, qui*
„ *suas Ecclesias deseruerint, omni Ecclesia interdi-*
„ *ci, & priusquam illuc redeuntes se receperint,*
„ *neminem eos ad altare admittere, neque ad pri-*
„ *mas sedes invitare, sed vulgares illos in plebeiis*
„ *subselliis relinquere, quum in Ecclesiam irru-*
„ *pe-*

" *perint* ". Non aliud Gregorius XI. anno 1375. voluit; quum enim residentiam apprime negligi videret, quumque residendi necessitatem Episcopis incumbere sibi satis esset persuasum, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Regulares Archimandritas, & Præsidentes quoslibet quorumcumque Ordinum non mendicantium ad residentiam personalem in suis Diœcesibus, Ecclesiis, & Monasteriis Apostolicis literis compulit. Consulite Canonem Synodi Francofordiensis 55. Consulite Concilium Parisiense anno 1212. *Can.* 8. Concilium Londinense anno 1237. *Can.* 22. & Londinense alterum anno sequenti *Can.* 22. quam efficacibus enim verbis residentiam in Cathedralibus Ecclesiis imperet Episcopis, intelligetis.

Verum, utrum residentia sit ex jure Divino, an Ecclesiastico quæritur; acris hinc inde pugna; est tamen probabilior eorum, qui pro jure Divino pugnant, sententia. Re enim vera quo jure quis obligatur ad finem, ad ea pariter, quæ ad assequendum finem necessaria sunt, obligatur; quum autem Episcopi, cæterique animarum Rectores jure Divino ad pascendum sibi commissum gregem obligentur,

& ad

& ad eum pascendum, uti decet, & oportet necessaria sit residentia, fluit argumentum, jure Divino eos quoque ad residentiam teneri; hoc autem est, quod scripsit Bened. XIV. *de Synodo Diœcesana lib. 7. cap. 1. §. 6.* „ *hæc nos* (ait) *amico Præsuli scripsimus eo dumtaxat con-* „ *silio*, *ut sibi persuasum haberet*, *non esse a* „ *Tridentino definitam quæstionem*, *de qua loqui-* „ *mur*, *sicut ipse opinabatur*, *non autem ut illum* „ *distraheremus a sententia*, *quæ residentiæ obli-* „ *gationem jure Naturali*, *& Divino animarum* „ *pastoribus injunctam defendit*; *ultro enim fate-* „ *mur*, *hanc sententiam communiorem esse*, *eique* „ *fere omnes calculum adjecisse*.

Parum autem prodesse Episcopis inveterata potest consuetudo, qua se defendant a residentia in Diœcesi, si tamen consuetudo potius, quam corruptela dici potest; quemadmodum enim nil inveterata proficit consuetudo, quominus ii non teneantur pascere gregem, ovesque suas, regereque Ecclesiam Dei, ita nil proficit, quominus possint non residere, quum quod de regimine Ecclesiæ Dei dicitur, idem de residentia, quippe quæ apprime pro optimo necessaria est regimine, dicendum sit.

Cæterum si justa, quæ eos excuset a residen-

dentia, caufa videatur fubeffe, Epifcopis abeffe licebit; ob aliam caufam non licebit.

Juftam novi abfentiæ cauffam in neceffitate; legem enim refidentiæ aut Divinam; aut Ecclefiafticam contemplamur; fi Ecclefiafticam, feu humanam, res certa eft; leges enim humanas femper neceffitatem excludere, quis ignorat? in ore enim omnium verfatur, vim neceffitatis carere lege, atque ad multa agenda jus dare, quæ citra eam inter vetita haberentur. Hinc Seneca *L.* 4. *controverf.* 27. neceffitas magnum humanæ infelicitatis patrocinium eft: hinc Callimachus *hymno in Delum*, ἀναγκαίη μεγάλη θεός, fcilicet, *neceffitas ingens eft Dea*; fed & res certa, fi refidentiæ lex Divina concipiatur; leges namque divinæ femper tacitam habent conditionem, fi aliud fumma neceffitas non expofcat; apertum habemus exemplum in antiqua fabbati lege, quis enim nefciat de hac lege Hafamoneorum temporibus fuiffe a fapientibus definitum, fieri neceffitati fummæ locum, adeo ut lex ea, ubi neceffitas occurreret, fileret; hinc natum fuit celebre dictum, *periculum animæ impellit fabbatum*: hinc Judæus apud *Synefium* cauffam neglectæ legis de fabbato hanc reddit: σαφῶς ὑπὲρ ψυχῆς θέομεν, ideft *in certiffimum vitæ pericu-*

riculum adducti sumus ; quam exceptionem & probat ipse Christus *Matthai* 12. 4. in altera lege de non edendis propositionis panibus quam etiam confirmant Hebræorum Magistri ; legibus enim de cibis vetitis aliisque nonnullis ex traditione hanc semper addidere exceptionem , si contrarium non suadeat summa necessitas.

Observare tamen est , necessitatem summam esse , deinde publicam , non privatam , denique huic non posse per alium fieri satis, nisi per Episcopum ipsum; demas enim alterutrum , parvi fiet , quæ objicietur , necessitas ; res clara, res aperta.

Christiana Charitas est justa absentiæ caussa; justa caussa debita obedientia; justa caussa evidens Ecclesiæ utilitas ; dummodo hic applices quod in necessitate necessarium duxi, scilicet si non possit per alium, nisi per Episcopum huic utilitati consuli.

Alia , non ignoro , onera Episcopos manent, sed hæcce , qualia sint , quum satis constet , ac possint ex iis, quæ diximus , aperte dignosci , silentio prætereunda duco.

De Chorepiscopis

CAPUT QUARTUM.

GRavissimis negotiis detentus Episcopus non ea omnia, quæ sui muneris sunt, præcipue si Diœcesis sit admodum vasta, perque diversas plagas dispersa, peragere commode potest; itaque ad se quosdam vocet in partem sollicitudinis suæ necessum est; sibi olim constituebant Chorepiscopos, qui eos tantillum in pastorali sollicitudine sublevarent; quamquam, si verum fateri est, horum designatio non orta sit ex ea una tantum caussâ, sed ex aliis etiam, quas, qui historiam callent Ecclesiasticam, non ignorant: sed hoc mittamus.

Quæstio est, utrum Chorepiscopi inter Episcopos recensendi essent, nec ne. Quæstio certe, quæ ancipites dudum Gallicanas Synodos tenuit. Chorepiscopi se inter Episcopos adnumerari, accenserique volebant, ob id, quod in *Can. X. Synodi Antiochenæ* legitur, *eos manuum impositionem Episcoporum accepisse, & ut Episcopos fuisse consecratos*; verum horumce ver-

borum

borum ſententia alia eſt. Nempe Concilium Antiochenum orationem retulit ſuam ad eos Chorepiſcopos, qui, anteaquàm Chorepiſcopatus dignitatem, officiumque obtinerent, jam ad Epiſcopatus apicem pervenerant; rationem præ manibus habeo validiſſimam. Quum enim in eodem Concilio *Can. XVIII.* mentio fiat quorumdam Epiſcoporum, qui ordinati ad Parœciam, Diœceſimve ſuam ob populi contumaciam; aliamque juſtam cauſam accedere minime poterant; quum mentio fiat Chorepiſcopatus muneris officiive, quod iis datum Epiſcopis eſt, ut qualiquali modo injuriam, damnumque, quod patiebantur, compenſaretur, non eſt admodum inveriſimile, dum ſcripſit *Chorepiſcopos manuum impoſitionem percepiſſe, & ut Epiſcopos fuiſſe conſecratos*; de iis loquutum Chorepiſcopis fuiſſe, qui jam Epiſcopalem conſecrationem aliunde acceperant. Sed gravis petitur difficultas ex Ancyrano Concilio *Can.* 13, cujus verba habentur in collectione Canonum Zonaræ, & Balſamonis: χωρεπισκόποις μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέροις ἢ διακόνοις χειροτονεῖν ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέροις πόλεως χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ, quæ ita latine reddi poſſunt: „ *Chorepiſcopis non licere Presbyteros aut Diaconos or-*

„ *di-*

„ *dinare , sed neque presbyteris Civitatis , nisi*
„ *eis permittatur ab Episcopo per literas in alie-*
„ *na parœcia*; vel ita, *sed neque presbyteros Ci-*
„ *vitatis &c.* quamcumque tamen sequamur versionem, en difficultas, quæ gravissimi videtur esse momenti. Ordinare presbyteros ad unum pertinet Episcopum; ordinandi presbyteros sit Chorepiscopis ab hoc Concilio potestas cum consensu tamen Episcopi; Chorepiscopi igitur erant Episcopatus charactere insigniti. Dicam verum? Canon iste corruptus est, ineptiisque scatet, quod ubi demonstraverimus, emendabimus eum: igitur aut primam versionem sed *neque presbyteris*, aut alteram *sed neque presbyteros* sequimur; si primam, quum presbyteris urbicis, ne presbyteros ordinent, aut diaconos sine licentia Episcopi in aliena parœcia facta, facultatem adimat, quid ineptius? quid magis alienum a regula, quæ ordinationes presbyterorum solis concedit Episcopis, idque in sua cujusque parœcia, ita ut nec Episcopus ipse possit dispensare? Si secundum, quid levius? quum enim cui vetita est presbyteri vicani ordinatio, potiori jure urbici sit vetita, erat ne necesse Chorepiscopo, ne ad ordinationem presbyteri urbici devenisset, prohibere, quando jam vicani ordinatio-

nem prohibuerat ? quid quod ? quid sibi vult illud *in aliena parœcia?* ac si Chorepiscopis libera esset ordinatio presbyteri in sua parœcia sine literis, vel ab iis tentari ordinatio presbyterorum cum sui Episcopi consensu, literisque in aliena diœcesi posset.

Hanc Canonis corruptionem falsitatemque apprime novit Dionysius Exiguus in sua collectione; proinde veterem satis confusam castigavit, scripsitque, *Chorepiscopis non licere presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec presbyteris Civitatis sine præcepto Episcopi, vel literis in unaquaque parœcia*. Castigatio, uti vides, consistit in verbis *in unaquaque paræcia*, sed hæc una non sufficit; ea enim adhibita, cessat quidem absurdum, quod alias obtinebat, videri scilicet Chorepiscopis liberum esse ordinare presbyteros in sui Episcopi parœcia sine literis, abque iis presbyterorum in aliena Diœcesi cum literis tamen, consensuque Episcopi sui ordinationem posse tentari; at aliæ, quas memoravimus, ineptiæ minime cessant. Quapropter mutila hæc castigatio supplenda, uti eruditissimus Marca notat, ita ut addenda sint hæc verba *aliquid agere* inserenda post illa *presbyteris Civitatis*; ut id verum demonstret ad Collectionem Canonum Hadriani I. concinna-

cinnatam e versione Dionysii Exigui compellit, ubi ita: *Ut Chorepiscopi presbyterum, vel Diaconum non ordinent, nec presbyter aliquid agat in Parochia sine precepto Episcopi*; compellit ad Capitulare Aquisgranense *Cap.* 9. ibi: „ *Vicariis Episcoporum, quos Graci Chorepiscopos dicunt, non licere presbyteros, vel diaconos ordinare, sed nec presbyteris Civitatis sine Episcopi precepto amplius aliquid jubere, vel sine auctoritate literarum ejus in unaquaque parochia aliquid agere.*

Itaque græcus contextus emendandus est; & pro his verbis *in aliena parochia* legendum *in unaquaque Parochia*; tum vero addenda sunt hæc verba μηδεν πραττειν *aliquid agere*.

Quamquam ex hactenus dictis verum, certissimumque sit, Chorepiscopos Episcopali ordine minime fuisse insignitos; quidam tamen Chorepiscoporum cæteris petulantiores ordinare Sacerdotes, quod unius est Episcopi, conabantur; aliaque sibi jura, quæ Episcopalia sunt, usurpabant, & accusati, se hoc recte facere, ob id quod manuum Episcopi impositionem accepissent, respondebant. Siccine? Vide, quomodo hac occasione contra eos Concilium Antiochenum *Can. X.* „ *Ii, qui sunt in* „ *pagis vel dicuntur Chorepiscopi, etiamsi Episcopi* „ *ordi-*

„ *ordinationem, manuumve impositionem acceperint, visum est, ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent, earumque cura, & sollicitudine gerenda contenti sint, constituant autem lectores, hypodiaconos, & exorcistas, & eorum promotionem sufficere existiment, nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant absque urbis Episcopo, cui ipsa subjicitur, & Regio. Si quis autem ea, quæ definita sunt, transgredi audeat, ipse quoque deponatur ab eo honore, quem habet.*

Habeto nunc paucis quæ munera, ac officia essent eorum propria; quidque ii solerent in vicis, pagisque agere: plebes ii in pietatis officio continebant; promovendos, cooptandosque in Clerum discutiebant, Subdiaconos, Lectores, Exorcistas, cæterosque inferioris gradus Clericos auctoritate sua ex Episcopi sui consensu constituebant, de Presbyteris, ac Diaconis ad Episcopum referebant, præcipuam, singularemque pauperum curam gerebant juxta Neocæsarensis sententiæ mentem in *Can. X. οἱ δὲ Χωρεπίσκοποι εἰσὶ μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα· ὡς δὲ συλλειτουργοὶ διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς προσφέρουσι τιμώμενοι*; altaria tandem, ac virgines benedicebant.

Putas ne tamen quorumcumque hæc munia

Cho-

Chorepiscoporum fuisse? pendebat id ex Episcoporum, quorum nutibus eligebantur, voluntate; itaque quandoque hæc omnia iis committebat, concedebatque Episcopus, quandoque nonnulla tantum, angustioribusque limitibus conferebatur Chorepiscopatus, teste de Marca de Concord. Sacerd. & Imper. lib. 2. Cap. 14. §. iv. „ *aliquando* (ait) *tamen Chorepis-* „ *copatus conferebatur angustioribus limitibus exer-* „ *cendus, ut contigit in caussa Armentarii, cu-* „ *jus ordinatio ad Episcopatum Ebrodonensem a* „ *duobus tantum Episcopis peracta rescissa est a* „ *Synodo Regensi anno LIX. concessum tamen est* „ *Armentario, ut Chorepiscopi nomine Ecclesiam* „ *unam obtinere posset, si quis Episcopus eam illi* „ *conferre voluerit, sed iis legibus, quæ Chorepi-* „ *scopatum illum in angustias redigunt; vetatur* „ *enim, ne duarum Ecclesiarum gubernationem ob-* „ *tinere possit, ne quis ei locus decernatur, quem* „ *Curia, & Civitatis species, aut ordo nobilitat,* „ *ne vel ultimum Clericum ordinet in sua Eccle-* „ *sia, neumquam in Civitatibus offerre præsumat* „ *etiam sub Episcoporum absentia; attamen hoc* „ *unum Chorepiscopatus vestigium illi relinquunt,* „ *ut in sua Ecclesia Neophitos confirmare, & ante* „ *Presbyteros offerre possit; sed recisa illa facalta-* „ *tes satis evincunt, ordinario jure Chorepiscopis*

 illas

„ *illas competivisse, etsi aliis probationibus destitue-*
„ *rentur.*

Quamquam inter munia Chorepiscoporum illud recenseretur, ut possent Subdiaconos ordinare, quamquam in hac re apertum, clarumque extaret in Concilio Antiocheno monumentum *Can.* scilicet x. *ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos atque exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant;* tamen de hac in Galliis orta est quæstio; miror tamen, quum verba Clara sint, ita ut de genuino sensu nullum oriri posse dubium videatur; itaque, ut quæstio isthæc tolleretur, Pipinus Major ad Zachariam summum Pontificem sapientissime id retulit; qui in *Epistola* 50. *ad Pipinum* Canonem x. Concilii Antiocheni servandum decrevit: quamquam & hoc Zachariæ decretum progressu temporis fuerit revocatum in dubium, quod tamen quomodo potuerit emergere, vix intelligo: aut enim Zachariæ verba clara sunt, aut obscura; si clara, quid de genuino sensu dubitare; si obscura, quum Zacharias sese referat ad *Can. X. Concilii Antiocheni*, cujus verba clara, ac manifestissima sunt, hæc obscuritas, hoc dubium debuerat penitus evanescere. Quapropter, ut novum dubium tolleretur, nova fuit definitione, ac declaratione opus, quam Leo III.

pro-

protulit, misitque Carolo Magno, rescindens tamen Zachariæ constitutionem, decrevit scilicet, irritas esse Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum Ordinationes, consignationes infantium, Ecclesiarum, Virginumque benedictiones. Sed cur eam rescidit? Marca putat huic rescissioni caussam dedisse breviarium *Canonis X. Antiocheni* relatum in Collectione Canonum ab Adriano I. confecta, quod ita est conceptum: *Quod Chorepiscopi Ordines inferiores usque ad Subdiaconatum dare possint* adeo, ut Leo III. hæc verba *usque ad Subdiaconatum* intellexerit, ut scholæ loquuntur, exclusive; sed hoc non placet; nota enim esse debebant integra Canonis X. Concilii Antiocheni verba; quare existimarem, huic rescissioni dedisse caussam malum Chorepiscoporum officium; unicuique enim Historiam callenti Ecclesiasticam, officio suo male tunc Chorepiscopos vacasse, notissimum est.

Sed ut consistam in hac Leonis III. Constitutione, velim observes quomodo irritas presbyterorum fecerit Ordinationes, quando e contrario Nicolaus I. a Rodulpho Archiepiscopo Bituricensi consultus de Presbyterorum ordinatione a Chorepiscopis collata in Galliis in *Epistola ad Rodulphum tom. 3. Concil. Gall. pag. 235.*

P 4 vali-

validam quidem esse ordinationem illam respondit, at imposterum a simili ordinatione abstinendum: vide quid Marca de Nicolao sentiat; defendendum scilicet ait eum, & excusandum esse, quod de hoc diversis, iisdemque gravissimis negotiis præoccupatus fuerit respondere coactus; at nil ei scripsit injuriosius; quasi rem tam definitu etiam in occupatione negotiorum perfacilem definire nescisset. Quare velim consideres; dari duo Chorepiscoporum genera, unum eorum est, qui ante Chorepiscopatum meri erant presbyteri, alterum eorum est, qui jam antea attigerant Episcopatus apicem, ita ut perfacile possimus, Nicolaum primum, loquutum de iis Chorepiscopis fuisse, qui jam antea Episcopatum obtinuerant, suspicari.

Quamdiu Chorepiscopi laudabilem; minimeque reprehensibilem vitam egerunt, quamdiu se se intra præstitutos officii limites continuerunt; optimeque versabantur in eo, nil contra eos; at vero, ubi transgredi cœperunt limites, culpabilemque agere vitam, suoque officio, ac munere abuti, eorum cœperunt jura coerceri, ac primo quidem prohibita fuit iis a Leone I. aliquot annis post Synodum Regensem Altarium, Virginumque benedictio;

pro-

prohibita deinde fuit Subdiaconorum ordinatio, prohibita Baptizatorum consignatio, ita ut paulatim fere omnia fuerint sublata, sublataque deinceps etiam ipsorum Chorepiscoporum dignitas, & gradus.

Hoc tamen Leonis decretum felicem non habuisse exitum certum est; etenim in Galliis, ut observat Marca, altiores Chorepiscopi egere radices; intelligo tamen caussam: etenim Leonis Papæ lex mutila, & manca fuit; ut enim certa lex perfecta sit, numerisque omnibus absoluta, duplicem desiderat partem, in constitutione unam constitutam, in pœna contra transgressores alteram; quid enim prodest lex, si ea minime muniatur pœna, qua violatores coerceantur, puniantur ve? In hoc certe Leonis III. lex peccavit; erat constitutio, at desiderabatur pœna. Quid quod? Constitutio hæc ab arbitrio pendebat Episcopi; quid propterea aliud erat sperandum, quam ut iterum Chorepiscopi reviviscerent, quum sua eos habere interesset?

Nil dixi de Chorepiscoporum origine; quid enim rem in iis, tempusque perdere, quæ confusa sunt, & obscura? quamquam probabilius omnibus videatur, serius in occidente, citius in oriente erupisse; ita ut in oriente

non

non nisi quarto Sæculo, in occidente vero vix ante quintum floruerint, quin moveat illa Damasi Papæ Epistola, quæ ad Episcopos Africæ de Chorepiscopis missa traditur; ea enim, ut Thomassinus notat, apocrypha omnino est, penitusque falsa.

Quid nunc plura de Chorepiscopis addere, quum eorum usus, subrogatis in eorum locum Vicariis generalibus, abolitus omnino sit? itaque nunc de Vicariis generalibus pauca.

De Vicariis Episcoporum.

CAPUT QUINTUM.

QUum non possint Episcopi ea omnia, quæ sui Muneris sunt, peragere, apposite creari, institui que Vicarii cœperunt; horum nonnulli, quibus generalis administratio, tum respectu temporalium, tum respectu spiritualium in universa Diœcesi demandatur, generales appellantur ad differentiam tum eorum, quibus temporalis solum potestas committitur, qui communiter non Vicarii, sed Œco-

Œconomi appellari consuescunt, tum eorum, qui in aliqua tantum diœcesis parte seliguntur, qui non Generales, sed Foranei appellantur.

Generalis ergo Vicarii potestas ad omnes extenditur caussas Episcopali Jurisdictioni subjectas, exceptis iis, quæ speciale mandatum requirunt, aut quæ vel ex jure scripto, vel ex recepta consuetudine ab uno cognoscendæ Episcopo sunt. Huc criminales caussas refero, refero potestatem a Beneficiis, Officiis, vel administrationibus deponendi; refero facultatem visitandi Diœcesim, facultatem congregandi Synodum, refero potestatem literas dimissorias Clericis, præsente Episcopo, concedendi, dispensandi in casibus, in quibus unus Episcopus potest, conferendi beneficia, eorumque resignationem admittendi, aliaque generis ejusdem referenda intelligo. Si itaque speciale mandatum Vicario Episcopus harumce rerum concedat, hæc peragendi utique ei potestas concedetur; tunc autem ei speciale dedisse mandatum intelligetur Episcopus, si non jam generali utatur clausula, qua Vicario concedat ea peragendi potestatem, quæ speciale mandatum requirunt, sed ea, quæ

vult,

vult, ut ille possit peragere, specialiter commemoret *Arg. Cap. 4. de procur. in 6.*

In constituendo Vicario illud praecipue attendat Episcopus oportet, ut idoneum, opportunisque qualitatibus praeditum eligat; debet ille esse aetatis annorum 25. *Cap. 7. vers. Inferiora de electione*, peritusque sit necessum est caussarum forensiumque rerum, proindeque doctor, aut saltem in jure Canonico licentiatus *C. ind. Sess. 24. de reform.*

Qui ab Episcopo Vicarius creatur, potest pro lubitu removeri, ac revocari. Caeterum revocatio denuncietur Vicario oportet, sic ut, si eam ille ignoret, ejus gesta valida sint *Arg. l. 17. de offic. proconsulis*. Sed & ipso jure Vicarius revocatur; quid enim si aut naturalem aut civilem mortem patiatur Episcopus? quid si ad aliam Ecclesiam transferatur? hocque adeo verum, ut nec eas caussas, quas ante translationem caeperat, perficere, terminareve eum posse opiner ad differentiam judicis delegati; potestatem enim delegati per delegantis mortem non expirare, nisi sit res integra, bellissime constat ex *Cap. 19. & 20. Delegati*. Discriminisque ratio aperta est; constat enim potestatem ac Tribunal tum Episco-

ſcopi, tum Vicarii generalis eſſe unum, & idem, ſic ut ab uno ad alterum appellatio non detur, ac proinde ceſſante poteſtate Epiſcopi poteſtatem generalis Vicarii perſeverare poſſe, eſt omnino impoſſibile; at vero poteſtas, & Tribunal delegantis a delegati Tribunali eſt adeo ſecretum, ac diſtinctum, ut ab uno ad alterum appellatio recte interponatur.

Quoniam vero, vacante Epiſcopali Sede, jurisdictio ad Capitulum Cathedralis Eccleſiæ devolvitur *Cap.* 3. *& ult. de ſuppl. neglig. prælat.* inde fit, ut poſt Epiſcopi mortem ad idem Capitulum Vicarium aut conſtituere, aut conſtitutum confirmare pertineat *Seſſ.* 24. *de ref. c.* 16. Vicariuſque ita conſtitutus Capitularis inde vocatur; ejus poteſtas, officiumque durat, quamdiu alter Epiſcopus creetur, qui a Vicario Capitulari recte adminiſtrationis rationem exiget, eumque poterit, ſi in officio deliquerit, punire, ut ut, rationibus redditis, liberationem a Capitulo obtinuerit. *Con. Trid. Cap.* 16. *de ref. ſeſſ.* 24.

De

De Archiepiscopis

CAPUT SEXTUM.

PAr olim fuit (id jam cæpi superius innuere) Episcoporum omnium jurisdictio præter unum summum Pontificem, qui caput est Collegii Apostolici. Verum ad majus Ecclesiæ decus & ornamentum Summus Pontifex quamdam quibusdam Episcopis jurisdictionis suæ concessit portionem, ut sic alii alios antecellerent, præstarentque. Memoro Metropolitanos, seu Archiepiscopos, memoro Patriarchas, memoro Primates, Exarchos memoro, qui certe majori, ac cæteri Episcopi jurisdictione, ac dignitate splendescunt. De Metropolitanis nostra nunc disputatio; de Patriarchis, Primatibus, & Exarchis postea.

Quotquot scripserunt ante Marcam de Origine, & institutione Metropoleon, alii juri Divino, alii juri Ecclesiastico, seu Petro, Ecclesiæve Romanæ, alii Ecclesiæ consuetudini eam acceptam ferendam existimarunt; putavit tamen eruditissimus Marca, se dissidium hocce facile compositurum, ubi eam institutionem Metropoleon Apostolos habuisse in

ani-

animo, ad executionem vero demandatam ex Ecclesiæ consuetudine definivisset; rem tamen fecit ineptam. Nam ubi quæso suæ sententiæ collocat fundamentum? præ cæteris *in Epistola ad Titum Cap.* 1. ubi Paulus: *reliqui te Cretæ, ut constituas per Civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi:* ubi notandum, presbyterorum nomen accipiendum pro nomine Episcoporum, quemadmodum ipsemet Paulus interpretatur in *versiculo* 7. postquam enim in *versiculo* 5. dixit, *reliqui te Cretæ* &c. in hoc *versiculo* 7. qui relationem cum *versiculo* 5. habet, subjungit: *oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem*; en Marcæ verba: „ *probamus Apostolos in animo habuisse,* „ *ut corpus Episcoporum statueretur sub præsiden-* „ *tia Episcopi Metropoleos*; *evidens hujus rei ar-* „ *gumentum extat in Epistola Pauli ad Titum,* „ *ubi scribit, se illum reliquisse Cretæ, ut consti-* „ *tueret presbyteros per civitates: ecce Metropolita-* „ *ni institutionem*: „ hactenus ipse *in lib.* 6. *de Concordia S. & I. Cap.* 1. §. 5. Verum nescio, an hoc argumentum in animo tantum id habuisse Apostolos, demonstret: quare ita sentio, utique prima hujus rei originis initia ab ipsis Apostolis repetenda; progressum, & incrementum in consuetudine Ecclesiæ colloco.

Qua-

Qualiscumque tandem de hac re formetur conceptus, certum est in facienda divisione Diœceseon, in instituenda Archiepiscopali dignitate Ecclesiam Romani Civilis Imperii dispositionem fuisse sequutam. Consideres enim, quæso, quomodo unum Civile Romanum Imperium est, en ex altera parte Ecclesia una; consideres, quomodo Romanum Imperium divisum in diversas Provincias fuit, en ex parte Ecclesiæ tot divisæ provinciæ; consideres, quomodo plures Imperii Romani provinciæ uni subsint Civitati primariæ, en & in Ecclesia certas provincias regit Metropolis; consideres, quomodo prioribus sæculis institutio Metropoleon Civilium secum traxerit institutionem Metropoleon Ecclesiasticarum; vix enim instituebatur quædam Civilis Metropolis, ut statim eam eodem in loco, Principis petito consensu, comitaretur institutio Metropolis Ecclesiasticæ, id suadente politia Ecclesiastica, qua Principum benevolentia captaretur; hincque in Concilio Taurinensi statutum fuit, illi totius provinciæ Primatum deberi, qui suam Civitatem demonstrasset Metropolim; hoc autem simile ei fecerim, quod de Primatu Constantinopolitano penes Ecclesiasticam historiam legimus: quum enim pauci mediæ æta-

tis

tis contra majorum ſententiam contenderent, honorem Eccleſiis debitum a ſola urbium dignitate pendere, collegerunt, eodem tempore, quo Conſtantinus in urbem Byzantinam ſuam tranſtulit ſedem, primatum quoque eo translatum, adeo ut Eccleſia Conſtantinopolitana primatus nomen mereretur. Verum notare eſt, poſt pauca ſæcula Metropoles Eccleſiaſticas paulatim a Metropoli civili disjunctas fuiſſe, neque erectionem urbium ad Metropolim civilem ſecum traxiſſe Metropolim Eccleſiaſticam, ſed pro utilitate, ac neceſſitate Eccleſiæ quaſdam Eccleſias in Metropoles fuiſſe erectas, duraſſe tamen priſtinam diſciplinam in eo, ut Principis conſenſus videretur neceſſarius; quamquam & labentibus deinde ſæculis hunce Principes ipſi minime requirere conſueverint, liberaque propterea eſſet Romano Pontifici erectio, crederem circa ſæculum decimum, quod & notat Van-Eſpen in titulo *de Metropolitanis*.

Hodie hæc Eccleſiæ ſervatur diſciplina, ut Metropoleon inſtitutio, & erectio, & auctoritate Summi Pontificis, & interveniente Principis conſenſu fieri conſueſcat, imo fere non niſi ad ejus poſtulationem, ſicque intemerata, firma, & inconcuſſa antiquiſſima, quæ

Q obti-

obtinebat circa hanc institutionem permanet disciplina . Delibata Metropoleon origine , summis labiis , cujus sit Metropolitarum electio, & confirmatio, considerandum est ; multum porro refert , antiquissimam ne disciplinam , an recentiorem contemplemur. Si antiquissimam ; quoad electionem Episcoporum erat Archiepiscopos eligere *Can.* 19. *distinct.* 63. ubi Leo Papa : „ *Metropolitano defuncto , quum in* „ *locum ejus alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad Civitatem Metropolitanam con-* „ *venire debebunt , ut omnium civium voluntate* „ *discussa ex presbyteris ejusdem Ecclesiae vel ex* „ *Diaconibus optimus eligatur.*

Quid autem mirum ; si hæc fuerit antiqua disciplina ? quum enim Episcopi pendere a Metropolitano deberent, ipsorum valde intererat, cujusmodi homo ad eam dignitatem vocaretur ; erat tamen exposcendus Cleri , populique consensus ; eodem sane modo quo , ubi ageretur de Episcoporum electionibus , is ipse videbatur olim necessarius ; ita electus fuit Stephanus Episcopus Ephesinus ; is enim ipse se electum fuisse ab Episcopis Asiæ ; & Clero ; Civibusque Ephesinis aiebat ; ita electus Flavianus Antiochenus ; etenim Patres secundæ Synodi Constantinopolitanæ adnotant in Epi-

stola

ſtola Synodica, hunc Epiſcopum electum fuiſſe ſuffragiis Epiſcoporum Comprovincialium, & totius Diœceſeos Orientalis, & concordibus etiam ſuffragiis Eccleſiæ Antiochenæ, ideſt eum conſenſu Cleri, & Populi ſpecialis Diœceſis Antiochenæ; ita electus Epiſcopus Nectarius, uti in eadem Epiſtola Synodica habetur. Quod ſi recentiorem conſulere diſciplinam velimus, electio Summorum eſt Pontificum, quare ita Rainaldus anno 1255. ſcribit: „ *primatum Cathedras, & apicem cujuslibet Eccleſiaſticæ dignitatis privilegio tibi divinitus traditum Eccleſia Romana conſtituit, quam ſolus ipſe fundavit, ac ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimul commiſit, & cœleſtis Imperii moderamen; hinc eſt quod Sancta Sedes Apoſtolica primates eligat Patriarchas, Exarchos, Archiepiſcopos; hinc eſt, quod ab ea diſpenſentur inſignia, de cujus plenitudine omnes accipiunt, ejuſque ſpeciali munere, quod ratio perſonæ, temporis, loci, vel cauſæ interdum poſtulat, aſſequuntur.*

Hodierna, qua nos detinemur, diſciplina hæc eſt, ut electio Archiepiſcoporum ſummis Principibus deferatur, confirmatio vero Summorum Pontificum ſit.

Iis delibatis, quæ tum de electione, tum de confirmatione Archiepiscoporum dici possunt, nunc esset de eorum jurisdictione tractandum; sed quum de re facili agatur, quid immorari in hacce discutienda juvat? hoc ergo unum hic adnotasse sufficiat, eorum jurisdictionem ad ea omnia, quæ ad informandos populi mores, quæ ad eum per virtutis viam traducendum, quæ ad vitia extirpanda conducunt, referri; sed id clarius ex ultima dissertatione, quæ *de Ecclesiastica jurisdictione in genere* inscribetur, facillime nosces: pergamus ad alia.

Quum Archiepiscopalis dignitas sit quædam Pontificiæ dignitatis portio, Romani propterea Pontifices Pontificiis Archiepiscopos ornamentis exornare consueverunt; de Pallii ornamento loquor: ita illud definit vir doctus, ut sit *fascia lanea candida in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur, ex quo circulo pendet pectori fascia similis, & alia ex adverso inter humeros demittitur, utraque habens crucem rubeam præter eas, quæ in ipso circulo extant super humeros*; hoc indumenti genus, quod apud Latinos appellatur pallium, apud Græcos dicitur ὠμοφόριον, hoc est superhumerale φελόνιον; homophorii tamen vox ambigua est; interdum

enim

enim significat vestem quamdam laneam, quam Episcopi ut plurimum humeris extra Sacrificii tempora imponebant; homophorii ita accepti mentionem facit Isidorus Pelusiota; ideo enim illud laneum esse, ut ostendatur, Episcopos sibi commissi gregis curam gerere diligentissimam oportere. Homophórion alias accipitur pro Summorum Pontificum indumento, quod Latini Pallium appellant. Hæc tamen pallii definitio hodiernis convenit temporibus; primæva namque ætate aliam fuisse pallii formam certissimum est; erat enim ex bysso candente contextum, humerosque operiebat, & ad talos usque demittebatur: idque satis ostendit Johannes Diaconus *in lib. 5. Gregorii lib. 4. Cap.* 80. ibi enim Beatum Gregorium in veteribus picturis videri indutum pallio ex candente bysso contexto nullisque acubus perforato, quod in morem vestis humeros ejus operiret, adfirmat: *pallium ejus* (inquit) *bysso candente contextum nullis acubus perforatum sic ipsum circa scapulas devolutum fuisse, non autem confixum sicut, vetustissimis picturis ostenditur.*

Hoc certe pallium indumentum vere Imperatorium fuit, hujusque usum Imperatores ipsi permisere Pontificibus, a quibus deinde Archiepiscopis factum commune fuit; rem ita

esse, ipsius Ecclesiæ Romanæ confessio. edocet. Edocet Constantinus Imperator, qui Sylvestro Pontifici omnium indumentorum Imperialium usum hisce verbis permisit: „ *deinde* „ *diadema*, *videlicet coronam capitis nostri*, *simulque phrygium*, *nec non superhumerale*, *videlicet lorum*, *quod Imperiale circumdare assolet* „ *collum*, *& chlamydem purpuream*, *atque tunicam coccineam*. „ Quid enim quæso hæc phrasis *lorum quod Imperiale circumdare assolet collum* significat, nisi, ut ipse interpretor, pallium? nitor enim Romanæ Historiæ scriptorum auctoritate; etenim apud hosce lorum fascias aureas, purpureasve, sive prætextus cuidam tunicæ, aut pallio alligatas, & connexas significat. Edocet Liberatus Diaconus *in Capite XXI. Breviarii*; ipse enim Antimum Patriarcham Constantinopolitanum a sede sua dejectum Imperatori Justiniano pallium reddidisse narrat: *Antimus* (inquit) *videns se se depulsum*, *pallium*, *quod habuit*, *Imperatoribus reddidit*; Justiniano scilicet, ejusque Conjugi Theodoræ; cui enim bono Justiniano pallium reddere, si ejus indumentum non fuisset? Edocet Auxanii Episcopi Arelatensis factum; quum enim Episcopus Arelatensis nova quadam dignitatis prærogativa a Zosimo Summo

Pon-

Pontifice condecoratus fuisset anno 417. eamque auxisset Symmachus anno 514. ita ut ei sedis Apostolicæ Vicariatum per Gallias, Hyspaniasque junxerit, quum ad hanc Arelatensem Cathedram evectus fuisset Auxanius, optaretque etiam pallio insigniri, id obtinere a Pontifice numquam potuit, donec Justiniani Imperatoris consensus accessit; hujus dilationis hanc Vigilius in *Epist. 1. ad Auxanium* rationem reddit, *ut & vobis gratior præstitorum causa reddatur; dum quæ postulatis cum consensu Christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei ejus servasse cum competenti reverentia judicemur.*

Primis porro temporibus Romani Pontifices pallium non omnibus indiscriminatim Archiepiscopis concesserunt, sed paucis tantummodo, illisque fortasse tantum, qui ab ipsis Vicarii Apostolici designarentur; eos enim ita exornare, quum Pontificis personam repræsentarent, apprime decebat. Hinc vetustissimis temporibus uni Archiepiscopo Arelatensi Vicario Apostolico in universa Gallia pallium concessum legimus, uni Hispalensi in Hispaniis, uni Salonitano in Dalmatia, uni Ravennatensi in Italia, uni Syracusano in Sicilia, uni Calaritano in Sardinia; octavo ergo dumtaxat

sæculo, uti placet Thomassino *de beneficiis parte* 1. *lib.* 2. *cap.* 54. *num.* 7. fieri cæpit, ut omnibus Archiepiscopis pallium concederetur.

Verum illud notare est, iis etiam temporibus, quibus haud omnes indiscriminatim Archiepiscopi pallio condecorabantur a Romanis Pontificibus, simplices etiam quosdam quandoque Episcopos fuisse pallii ornamento condecoratos; hujusceque rei exempla penes Cardinalem Bona *rerum Liturgicarum lib.* 1. *cap.* 24. penes Garnerium in *appendice ad librum Diurnum dissert.* 3. *num.* 26. *in notis cap.* 4. permulta occurrunt exempla; primus autem omnium id agere Marcus Papa cæpit; ipse enim Ostiensem Episcopum ob eam, qua jam tum fruebatur, prærogativam, consecrandi nimirum Romanum Pontificem, qui non antea Episcopus inunctus fuerat, hoc pallii ornamento condecoravit. Non potuere tamen non magna oriri inter Episcopos suffraganeos, qui pallii ornamento fuerant condecorati, & Archiepiscopos, quibus illi subjecti erant, dissidia. Simplices enim Episcopi se ob unam pallii concessionem non amplius jurisdictioni Metropolitani subesse, seque quoquomodo posse Archiepiscopos appellari contendebant; exem-

xemplum eſt in perſona Galonis Metenſis Epiſcopi; Galo enim, poſtquam pallii honore condecoratus fuit, quum Archiepiſcopi nomen ſibi uſurpaſſet, in ipſum Bertolfus Treverenſis Archiepiſcopus mirum in modum exarſit, diſſidiumque non ante ceſſavit, niſi poſtquam pallium Galo abdicavit; hocque adeo verum eſt, ut Metropolitani, quo illibatam ſuam juriſdictionem ſervarent, auſi aliquando fuerint contendere, ut a Pontifice Maximo non amplius cuipiam ſuffraganeo Epiſcopo pallium, niſi ſuus acceſſiſſet conſenſus, concederetur; quamquam (ſi mihi fas eſt aperire, quod venit in mentem) non potuit non injuſta eſſe eorum Archiepiſcoporum contentio.

Quum invaluerit opinio, in ſuſceptione pallii Pontificalis officii plenitudinem contineri, quid aliud fuit ſperandum, quam ut non antea poſſet Archiepiſcopus Archiepiſcopalia munera, quam pallium obtinuerit, exercere, ut ut olim, teſte Thomaſſino *de diſciplina Eccleſiaſtica part.* 2. *cap.* 25. *num.* 10. aliter ſe ſe res habuerit? Huc ergo ſpectat Concilium Ravennatenſe anno 877. *Can.* 1. & 2. ubi Metropolitanum intra tres menſes conſecrationis hocce teneri pallium ab Apoſtolica Sede ſuſcipere conſtituitur, adeo ut, ſi hoc nulla ne-

necessitate detentus minime faciat, collata sibi careat dignitate; huc Gregorius VII. *lib.* 9. *epist.* 1. ubi Rothomagensem Metropolitanum vehementer redarguit, quod pallio ab Apostolica Sede minime postulato, functiones sui Ordinis obire præsumserit; huc Innocentius III. *in Cap.* 28. §. 1. *v. præterea de electione*, ubi ait, *multum præsumere illum Archiepiscopum, qui antea, quam pallium susceperit, munia obire Archiepiscopalia non dubitet*; huc ne quoque Canon. 1. dist. 100.? quid apocryphis utar monumentis? Cæterum, an quemadmodum ante pallii receptionem vetitum est Archiepiscopis Archiepiscopalia munera exercere, ita & vetitum sit Episcopis, quæritur; negativa sententia placet; an ne ob id, quod quilibet Episcopus statim ac electus, & confirmatus est, exercere suam jurisdictionem potest; adeo ut æquum non videatur, ut hoc jure ille spolietur; qui privilegio pallii potitur? minime gentium; vera enim discriminis ratio suum in eo habet fundamentum, quod Archiepiscopis per pallium, ut vulgo traditur, plenitudo pastoralis officii confertur, Episcopis vero ad merum privilegium, honoremque tribuitur.

Privilegio pallii, quod Archiepiscopis conceditur, jungitur privilegium gestandæ crucis,

quod

quod a Summo Pontifice ad ejusdem Legatos primum fluxisse asserit Thomassinus *de nova, & veteri Ecclesiæ disciplina part. 1. lib. 2. Cap.* 59. deinde ab Apostolicæ sedis Legatis mox ad Patriarcas, subinde ad Primates, & demum ad Archiepiscopo descendisse, num omnes? modo uni, modo alteri tantum ex speciali favore tributum fuit. Sic Eugenius III. *Epist.* 10. *part. 2. tom. 6. collectionis Arduini Coll. 12. 50.* peculiari quodam favore, ac privilegio Coloniensi Archiepiscopo gestandæ crucis privilegium concessit. Sic ab Alexandro III. referente Baronio anno 1177. *num.* 76. idem singulari favore privilegium Archiepiscopus Salernitanus obtinuit. Sic Gregorius IX. teste Raynaldo ad annum 1248. *num.* 38. Archiepiscopis Auxitano, Burdegalensi, & Messalensi idem privilegium donavit, ita tamen ut pedetentim res omnibus Archiepiscopis sub Alexandro IV. uti conjicit Thomassinus, facta communis fuerit. Quemadmodum vero ex singulari Apostolicæ Sedis favore nedum Archiepiscopis, verum & quibusdam etiam Episcopis gerendi pallium facta potestas fuit, ita & gestandæ crucis privilegium singulari prærogativa fuit quibusdam Episcopis concessum. Sic Episcopus Lucensis hanc potestatem a Lu-

cio

cio III. a Cæleſtino III. ab Innocentio III. obtinuit; ſic jam ante Alexandrum tertium hoc privilegio Papenſis Epiſcopus fruebatur; ſic Benedictus XIV. Epiſcopo Eyſtetenſi, ejuſque ſucceſſoribus tale privilegium indulgere minime dubitavit. Sed quid prodeſt in hiſce rebus, quæ certiſſimæ ſunt, immorari?

De Patriarchis

CAPUT SEPTIMUM.

PAucis Diſciplinam, quæ de Patriarchis eſt, delibemus. Præerant iſti pluribus Diœceſibus, eorumque jus in eo præcipue verſabatur, ut Epiſcopos ſibi ſubditos ad Concilium advocarent, ut ad Epiſcoporum ordinationem devenirent, utque de majoribus cognoſcerent cauſis; verum, quoniam hæc duo poſtrema fuerunt poſtmodum Summo Pontifici reſervata, hoc unum jus iis relictum cernimus, ut convocare Concilium poſſint, eamque habeant in eos Epiſcopos poteſtatem, qua Primates ſupra Metropolitanos fruuntur.

Si

Si ad antiquissima Ecclesiæ tempora animum intendamus, Ecclesiastica Historia tres tantum Patriarchatus fuisse institutos testatur, in Oriente nimirum Alexandrinum, & Antiochenum, in Occidente Romanum; ad Alexandrinum autem, & Antiochenum Episcopum hac dignitate donandum specialis impulit causa: nam si ad Antiochenum respiciamus, eum illa dignitate condecoratum ob id, quia ibi suam fundavit Petrus Ecclesiam, cernimus; si vero Alexandrinum contemplemur, hac dignitate eum donatum non tam ob urbis magnificentiam, quam ob primatum Petri, cujus auspiciis illam Ecclesiam fundaverat Marcus, intelligemus. Notare tamen est, post Romanam sedem secundum locum Alexandrinam obtinuisse, tertium Antiochenæ adsignatum fuisse; hic quid curiosi investigatu occurrit; cur enim potius Antiochiæ secundum locum, tertium autem Alexandriæ adsignare, quum Alexandrinam Ecclesiam ipsemet Petrus fundaverit, plurimisque rexerit annis? dixerim hoc factum, aut quia Petrus, postquam Judæis prædicavit Evangelium Dei in Palæstina, cœpit illud etiam in Alexandrina Civitate disseminare, aut quia ex civili politia Alexandria secundas post Romam partes nacta fuit; quasi

polli-

politiam Ecclesiasticam cum politia civili convenire videretur apprime decorum.

Progressu temporis etiam Hierosolymitanus Episcopus Patriarchatus dignitate fuit condecoratus, quartum propterea locum post trium primarum sedium Episcopos obtinuit; verum notare est, nulla potitum auctoritate fuisse, ne in provinciis quidem Palestinae quae Caesareae Episcopo parebant, donec scilicet Principum rescriptis Phoenicias, Arabiam, & tres Palaestinas a Patriarchatu Antiocheno avulsas obtinuit, quamquam non potuit id magnas controversias in iis provinciis, quae tandem transactione sopitae fuerunt, non excitare.

Patriarchatus successit deinde alter; is est Constantinopolitanus; ejus originem repetendam a Constantino, teste Zonara, ducimus; in libris enim annalium de Constantino haec scribit: „ *& quum antea Byzantii Episcopatus* „ *esset Heracleae Thraciae, evexit eum Constanti-* „ *nus ad Patriarchatus honorem privilegia veteri* „ *Romae conservans propter antiquitatem, & quod* „ *ex ea urbe in istam imperium transtulisset;* „ quid ni id faceret Constantinus? quum enim Graeci mediae aetatis honorem Ecclesiis debitum a sola Civitatum dignitate pendere contenderent, facile colligi potuit, Constantinum

ob

ob id, quod in urbem Byzantinam ſuam tranſtulit ſedem, potuiſſe primatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ concedere: hoc adeo verum, ut inde illud Concilii Conſtantinopolitani decretum in Canone 3. emanarit: *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat primatus honorem, τὰ πρεσβεῖα τῆν τιμῆς poſt Romanum Epiſcopum, eo quod ſit nova Roma*; quamquam tamen hocce Concilium ut pote non Œcumenicum, quippe ex ſolis Orientis Epiſcopis conſtabat, ab omnibus non fuerit approbatum, ab Eccleſia dico Occidentali, teſte Gregorio Pontifice *in lib. 6. epiſt.* 31. „ *Romana* (ait) *Eccleſia eoſdem Canones, vel geſta illius Synodi hactenus non habet, nec accepit, in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum*. „ Utinam tamen hujuſce Canonis verba „ *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat primatus honorem poſt Romanum Pontificem* „ Epiſcopi Conſtantinopolitani ita interpretati eſſent, ut Eccleſiarum utilitati, neceſſitatique ſervirent; at, quod dolendum eſt, hæc eo porrexerunt, ut eorum ambitioni proficerent: quid namque, quæſo, vi eorum verborum ſibi non uſurpavit Nectarius, qui in ipſa Synodo Conſtantinopolitana adeptus eſt Patriarchatus honorem? quid Atticus Epiſcopus Conſtanti-

nopo-

nopolitanus successor Chrysostomi, successor tamen indignus? Refert enim Socrates, ab Attico Episcopatum Philipopolem in Thracia Sylvano donatum, & ab eodem post triennium translatum fuisse Troadem in Phrygia, quando Troadis Cives Constantinopolim Episcopum petituri advolarunt; neutrum tamen ad eum pertinebat. Quid Flavianus? quum enim Ibas Edessenus in Syria Episcopus morum improbitate Clericorum suorum iram in se concitasset, quumque illi id cæpissent consilii, ut apud Antiochenum Episcopum, cujus ditioni, & judicio suberant, illum accusarent, Flavianus tunc Constantinopolitanus Patriarcha eo arrogantiæ devenit, ut causam sibi arriperet decidendam, eamque tribus Metropolitanis Tyrio, Berytensi, & Himerensi delegavit, lisque tandem finita fuit in Berytensi Concilio, cujus acta in actione X. Concilii Calcedonensis recitata sunt. Num aliud Anatolius? Prædecessorum suorum vestigia sequi non dubitavit.

Dixeram, in Occidente olim unum tantum Patriarcham fuisse, Summum nempe Pontificem; imposterum tamen, si tantillum historiam Ecclesiasticam pervolvamus, alios creatos fuisse noscemus, Aquilejensem Episcopum memoro;

moro; is enim tunc Patriarchatus donatus honore fuit, quum fuit diruta Simio, quando propterea Aquileja Illyrici Occidentalis caput evasisse visa est, adeo ut Aquilejensis Episcopus amplissimæ diœcesi præesset, qua scilicet Istria, qua utrumque Noricum, qua Rhætia secunda continebatur; hujus Patriarchatus originem ab Istriæ schismate repetendam existimo. Schismatici enim illius provinciæ Episcopi, abrupta cum quatuor Patriarchis communione, in suum Metropolitanum Aquilejensem Patriarchicum jus transtulere; hincque ipse perinde ac cæteri solebant Patriarchæ, a Synodo provinciæ nullius consensu, licentia nullius & eligebatur, & consecrabatur, nulliusque jurisdictioni, ne Romani quidem Pontificis, se noverat subjectum; ubi tamen schisma cessavit, Patriarchicum jus tamquam effectus Schismatis cessavit, illudque in jus metropoliticum mutatum fuit. Constat tamen, Leonem VIII. anno 980. & Johannem XX. id imposterum Aquilejensibus Episcopis concessisse, ut primum supra cæteros Italiæ Metropolitanos locum haberent, nudumque adhuc Patriarchæ nomen retinerent. En tamen quas deinde adhuc vices Aquilejensis Episcopus passus sit. Orta de consessus honore inter Me-

 tropo-

tropolitanum Ravennatensem, Aquilejensem, & Mediolanensem contentione Clemens II. in Synodo Romana anno 1047. primum Ravennatensi locum, excluso Aquilejensi Episcopo, dedit; verum iste ab Alexandro II. (dico Gesobaldus tunc Aquilejensis Episcopus) honore Patriarchico donatus imposterum fuit, ornatusque Dominio & Istriæ, & Forojulii, imo in Romani Imperii Principum censum relatus anno scilicet 1049. primusque ei una cum successoribus suis supra omnes Metropolitanos, postque majores quinque Patriarchas locus fuit adsignatus.

Mentio in historia Ecclesiastica etiam fit Patriarchæ Gradensis; fuit iste creatus tunc quum Imperatores Orientis maritimam provinciæ Venetæ, & Istriæ oram Longobardis ereptam, fervente adhuc Aquilejensi schismate, receperunt; verum, extincto schismate, nudum Patriarchæ nomen, ea ferme ratione qua Aquilejensis, retinuit.

Occurrit etiam in eadem historia mentio Patriarchæ Ulyssiponensis; fuit iste hoc honore, Lusitano Rege petente, condecoratus; jamdudum enim sibi Apostolicæ Sedis ob sua benemerita benevolentiam conciliaverat.

Mentio etiam fit Patriarchæ Moschovitæ, de

de quo quiddam occurrit notatu dignum; memorat enim quiddam Auctor, hunce Moschovitam Patriarcham subditos sibi duos Metropolitanos, Rhostoviensem scilicet, & Novogradensem præter alios Episcopos habuisse; at Olearius, qui hocce Auctore scripsit recentius, huic Patriarchæ Metropolitas quatuor, septem Archiepiscopos, Episcopum vero dumtaxat unum subfuisse adnotat: tentavit olim Patriarcha iste, ut ad Ecclesiæ Romanæ communionem una cum omni Moschovita Ecclesia veniret; causa hujusce communionis tentatæ legenti Ecclesiasticam historiam potest esse notissima; est enim Dominium, Potestasque Turcarum, in quam Constantinopolis cecidit, tunc enim Moschovita Ecclesia laxare, & abrumpere vincula cæpit, queis ad obediendum Patriarchæ Constantinopolitano constringebatur, cæpitque de communione cum Romana Ecclesia tentanda cogitare, quem tamen finem res isthæc habuerit, sat docet historia.

Verum ut tantillum ad Patriarcham Romanum redeam, observare est, a Romana Sede Patriarchæ nomen fuisse expunctum; id tacite innuere videtur Innocentius III. in *Cap. 23. de privileg.* ubi antiqua Patriarcharum jura, ac privilegia renovans quatuor tantum mentio-

nem facit, Constantinopolitani, cui primum; Alexandrini, cui secundum, Antiocheni, cui tertium, Hierosolymitani, cui quartum locum adsignat; quapropter traditum deinde fuit, ea, quæ a Romanis Pontificibus gesta imposterum proponuntur, gesta videri non jam jure Patriarchatus, sed jure Primatus Universalis; qui in Divina institutione firmissimum habet fundamentum.

De Primatibus

CAPUT OCTAVUM.

PRimates in universum dicuntur, qui aut Principem locum in aliquo Collegio tenent, aut proceres sunt alicujus Gentis, proinde vox ista in Ecclesia ad significandam quorumdam Episcoporum, qui in Concilio suæ provinciæ præsint, auctoritatem irrepsit.

Sed quidquid sit de Primatus nomine in genere, videre est, quinam in specie hocce in loco sint; seu quales dicantur; passim Primates pro Metropolitanis, seu Archiepiscopis acci-

accipiuntur ; id apertissime ex *Can.* 2. Concilii Taurinensis celebrati anno 397. colligitur; *illud inter Episcopos* (sunt eadem Canonis verba) *urbium Arelatensis* , *&* *Viennensis* , *qui de primatus apud nos honore certabant* , *a Sancta Synodo definitum est* ; *ut qui ex iis comprobaverit* , *suam Civitatem esse Metropolim* , *is totius provinciæ honorem Primatus obtineat* , *&* *ipse juxta præceptum Canonum ordinationum habeat potestatem* ; huc ergo pertinet Primas Primæ Justinianæ; Justinianus enim Primam Justinianam patriam suam, quæ antea vocabatur Acrida, Archiepiscopali Sede ex concessione Vigilii Papæ condecoravit, certasque subtraxit Archiepiscopo Thessalonicensi provincias , quo eas Primatui Primæ Justinianæ redderet obnoxias; en quid habet in hanc rem *Novella* 131. *ipsum* (ibi inquit Justinianus) *ac proprio ordinari Concilio* , *&* *in subjectis sibi provinciis locum obtinere Sedis Apostolicæ Romæ secundum ea* , *quæ definita sunt a Sanctissimo Papa Vigilio* ; huc pertinent Primates Africani , uti elegantissime observat eruditissimus Marca in suo *de Primatibus* tractatu ; hocque sensu accipiendum videtur *Cap. XIX. Collectionis Conciliorum Africanorum* , cujus hæc verba , *quisquis Episcoporum accusatur ad Primatem Provinciæ* , *ipsius causam deferat*

 accu-

accusator; hoc sensu etiam accipiendum videtur quod, statutum legitur in Can. XXVIII. ejusdem collectionis, *Clericos scilicet, ubi de appellando agitur, provocare eos debere ad Primatem suarum provinciarum*.

Aliquando etiam (uti notat idem Marca) pro antiquioribus Episcopis Primates accipiuntur. Sic ab Ilario Papa Constantius Uceticæ Ecclesiæ Antistes dicitur esse *Primas ævo honoris*, atque ab eodem cura provinciæ Narbonensis ob suspensionem Hermetis Metropolitani transfertur ad eum, quem reperiret Archiepiscopalis ordo Primatem.

Quid quod? ulterius adnotat Auctor idem, per Primatem eum Episcopum significari, qui & jure & nomine Patriarchico fruitur, quemadmodum Justinianus interpretatus est, τὸν ἔξαρχον διοικήσεως.

Veri tamen Primates hocce loco dicuntur ii, qui plures provincias, earumque Metropolitanos sibi subditos habent; sub hac significatione venit Primas Rhemensis, qui Sancto Remigio collatus est, cuique centè subditæ fuerunt provinciæ Belgicæ duæ, Germanica secunda, Lugdunensis secunda, quarta, & quinta, idest Metropolitanus Trevirensis, Coloniensis, Rothomagensis, Senonensis, & Ve-

 son-

Fontionensis. Credunt nonnulli, illi subjectas fuisse quoque provincias, quæ Alarico Regi Wisigothorum parebant, scilicet tres Aquitanias, & primam Narbonensem, provincias quoque, quæ Burgundicum Regnum tangebant, scilicet Lugdunensem primam, Narbonensem secundam, atque omnes fere Viennenses: verum consulant ipsi, qua forma, quo tenore, quibusque terminis conceptum sit privilegium Primatus Rhemensis Episcopi in Galliis, quod videre est penes Flodoardum in historia Rhemensi, *lib.* 1, *cap.* 19. & apud Hincmarum *epist.* 6. *cap.* 18. hoc certe absurdissimum esse videbunt.

Sub hac significatione venit Primas Toletanus in Hispaniis, quum enim Toletana Synodus 12. habita anno 681. jus illi tribuat deveniendi ad Episcoporum omnium Hispaniarum, quos elegissent Gothorum Reges, Ordinationem, non autem appellationem a Metropolitano ad ipsum, quomodo Primas iste a Metropolitano distinguatur, quomodo propterea ille in eorum censum, qui sibi subditos Metropolitanos habent, referendus videatur, bellissime vides.

Sub hac significatione venit Primas Bituricensis; id constat ex Epistola Nicolai primi,

cujus verba a Gratiano referuntur *in causa 9. quæst. 3. Can. conquestus*, & ante Gratianum ab Ivone Carnotensi; quum enim conquestus esset apud Pontificem Sigebodus Narbonensis Archiepiscopus, Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum Clericos Diœcesis Narbonensis eo invito ad judicium suum venire compulisse, deque bonis Narbonensis Ecclesiæ quasi jure Patriarchico suo disponere, id Nicolaus Epistola sua prohibuit, decernens, nihil Bituricensi Primati licere in Clericos, Ecclesiæque Narbonensis bona, nisi in causis, in quibus ad ipsum, velut ad Patriarcham suum, fieret appellatio: en verba Nicolai: „ *conquestus est Apostolatui nostro frater noster Sigebodus, „ Archiepiscopus Narbonensis, quod Clericos suos „ eo invito ad judicium tuum venire compellas; „ & de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, „ eo inconsulto, quasi jure Patriarchatus tui dis„ ponas; quum hoc neque antiquitas, cui Sancti „ Patres sanxere reverentiam, habeat, & aucto„ ritas Sanctorum Patrum penitus interdicat, nisi „ forte pro causis, quæ apud se terminari non „ possint, ad te quasi ad Patriarcham suum pro„ vocaverint per appellationem, vel, si Episcopus „ suus decessarit, intra Ecclesia sua judicio tuo „ dispensare voluerint; Primates enim, vel Pa-*

triar-

„ *triarcha nihil privilegii haberet præ cæteris Epi-*
„ *scopis, nisi quantum Sacri Canones concedunt,*
„ *& prisca consuetudo illis antiquitus contulit,*
„ *definimus.* „ Hactenus Nicolaus primus: ex hisce, inquam, verbis, quibus concepta est Nicolai Epistola, Primatem Bituricensem inter eos Primates, qui veri Primates sunt, quique sunt Archiepiscopis superiores, recenseri colligitur; quum enim per hæc verba eum Patriarchis sic dixerim comparet, quis hoc verum esse non intelligat? quid quod? nonne huic Primati subjectus erat Burdigalensis Archiepiscopus etiam tempore Alexandri III. anno 1564. qui tamen subductus postea fuit, postquam Angliæ Reges fuerunt Aquitaniæ Ducatu potiti? hoc autem quid aliud, quam eum verum Primatem, qui certe sibi subditos habebat Archiepiscopos, fuisse significat?

Primatum hæc est potestas, ut, quam habent Metropolitani supra Episcopos, habeant ipsi supra Metropolitanos, eorum scilicet excessus corrigant, suppleantque defectus; plura non addo; sat enim Primatum cernitur disciplina.

De

De Presbyteris

CAPUT NONUM.

EXcellentissimam esse Presbyterorum, seu Sacerdotum dignitatem, vel nomen ipsum commonstrat; isti enim, non quæ temporalia, humanæque inventionis sunt, sed quæ spiritualia, quæque inventionis sunt divinæ, pertractant; frequentissime isti seniores appellantur, quum in hisce certa mentis canities requiratur; indeque est, ut vel Græcis presbyteri essent, quibus honor, & reverentia, quæ præstabatur senibus, exhiberetur, idque etiam Romæ & in Rebuspublicis bene constitutis potissimum esset; auctore namque Callistrato *in l. 5. de jure immunit. lib. 50. P. tit. 6.* idem pene honor senibus, ac Magistratibus tribuebatur. Neque apud antiquissimos Romanorum aut major, aut præstantior generi, pecuniæque honor, quam minores majores ad Dei prope, parentumque vicem colerent, deferebatur, & ut scribit Ovidius *lib. 5. Fastor.*

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

Mar-

Martis opus juvenes, animosaque bella gerebant,
Et pro Dis aderant in statione suis.

& rursus in *lib. 2. de arte amandi*,

Adde, quod est senibus rerum prudentia major,
Solus & artifices qui facit usus adest.

Atque Xenophon *lib. 8. Cyri ped.* moriturum jam jam, disponentemque de Regno suo in filii senioris favorem Cyrum dixisse scribit, eam fuisse Legem Persarum, senioribus non solum fratribus, sed etiam civibus, & incedendo, & dicendo cedendum; proinde Hesychius inquit, *non solum senes presbees vocantur, sed etiam Reges, Principes, magis honorati.* Sed propius ad rem nostram veniamus. Qui honore præcipuo in Ecclesia fruuntur, quique Christianis pascendis pabulo vitæ, & disciplinæ præficiuntur, qui Mysteriorum curam suscipiunt, Presbyteri, Sacerdotesque vocantur; ita enim D. Paulus ad Titum Cap. 1. scribit: *Reliqui* (inquit) *hujus gratia te Cretæ, ut ea, quæ desint, corrigas, & constituas per Civitates presbyteros sicut ego disposui tibi; si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios fideles habens non in accusatione luxuriæ, aut non subditos;* & ad Timotheum Cap. 5. *qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & in Doctrina.*

Pre-

Presbyterorum officium paucis explicat D. Hieronymus *in Epist. de septem gradibus Ecclesiæ: Sextus* (inquit) *Seniorum ordo est, qui Sacerdotibus datur qui presbyteri dicuntur, qui præsunt Ecclesiæ Dei, & Christi Sacramenta conficiunt; iidem autem in benedictione cum Episcopis consortes Ministeriorum sunt, nec ulla in conficiendo Corpore Christi, ac Sanguine inter eos, & Episcopos credenda distantia est*: paucis explicat Epiphanius scribens ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum, cujus Epistola reperitur inter Epistolas D. Hieronymi *tom. 2. oper. & in Can. ecce ego dist.* 95. paucis & explicant Pontificia jura *in Can. perlectis dist. XXV. Can. dictum est causa 1. dist. 1. Can. Sacerdotes causa 6. quæst. 16. Can. quia Episcopus causa 5. quæst. 3.* paucis denique illud complectitur D. Paulus ad Hebræos Cap. 5. hisce verbis : *omnis Pontifex, qui ex hominibus assumitur, pro hominibus constituitur in his, quæ apud Deum aguntur, ut offerat donaria, & victimam pro peccatis.*

Presbyterorum plures observandæ qualitates occurrunt; aliæ enim animum, aliæ corpus, aliæ bona respiciunt; sed quæ sunt animi potissimæ sunt, necessum enim est, ut Sacerdotes a mundanis, terrenisque rebus abhorreant, ut abhorreant a spectaculis, a pompis; a pu-

bli-

blicis, privatisque conviviis; ut abhorreant ab usuris, a fraudandi studio, ab amore pecuniæ, a sæcularibus negotiis, ab ambitione honorum, ab æmulatione, ab odio, a dolo, a fraude, aliisque generis ejusdem. Necessum est, ut fœminarum frequentiam vitent, ut caste vivant, ut senioribus, superioribusve obediant; necessum, ut psalmis, hymnis, canticis incumbant, & in pascendo grege Christi pabulo vitæ, & disciplinæ insudent. Quum ergo Sacerdotum ordinatio ad unos Episcopos, unumque pertineat Pontificem; investigent ipsi, num hisce præditi, qui ordinentur Sacerdotes, qualitatibus sint, nec ne; ubi enim istæ desiderentur, si eos dimittant, rem agent egregiam; & hac in re distant Sacerdotes in lege naturæ a Sacerdotibus in lege gratiæ; in lege namque naturæ, uti & in Mosaica Sacerdotes fuerunt ex genere, non ex electione constituti; Rabini enim *in Cap.* 25. *&* 27. *Genes.* ante Sacerdotium Aaronis Primogenitos Hebræorum jure primogenituræ, & Sacerdotalem vestem, & dignitatem, & jus offerendi Deo una cum duplici paternorum bonorum parte habuisse adnotant; at vero in lege gratiæ una ordinatio ab Episcopis facienda facit presbyteros.

De

De Diaconis, & Subdiaconis.

CAPUT DECIMUM.

Diaconatus nomen non aliud, quam Ministerium significat; Diaconi enim fuerunt ad Sacerdotibus subserviendum instituti; idcirco non aliud Diaconi officium est, quam operam Sacerdoti in rebus pro consecratione subministrandis præstare; quare debent ei vel sacrificanti, vel baptizanti adstare, oblationes quoque inferre; altareque disponere, componere mensam Domini, ac vestire, crucem ferre, Christique Evangelium prædicare. Unde eorum opinio, qui Diaconatum in locum Levitarum successisse adnotant, verissima est; illi enim ex Dei ipsius jussu Sacerdoti Legis antiquæ ministrabant, *Numeror. cap.* 8. & 9. Debet autem Diaconus esse annorum XXIII. ita Concilium Trid. *de reform. Sess.* 23. *Cap.* 5. debet de ejus doctrina, moribus, ac genere constare. Sed hæc facillima sunt.

Gradus ad Diaconatum Subdiaconatus est, nec nisi turbato ordine Diaconatus ante Subdiaconatum confertur; ad Subdiaconi officium

per-

pertinet Calicem, & Patenam ante altare Christi deferre, Levitisque tradere, ac ministrare, pertinet iis tradere urceolum, & aquam ad Sacrificium destinatam, uti & eam pro lavandis ante altare manibus porrigere: Subdiaconis certa quoque Doctrina requiritur; requiritur quoque certa ætas a Trident. Concil. *Sess.* 23. *de ref. Cap.* 5. definita.

De Minoribus Ordinibus

CAPUT ULTIMUM.

AB Ordinationibus majoribus ad minores descendimus: quatuor ii sunt, primus est Ostiariorum, alter est Lectorum, tertius Exorcistarum, quartus denique Acolythorum, sive Sectatorum: de hisce omnibus perpauca dicamus, videamusque in primis quæ dici de Ostiariis possunt.

Ostiariorum disciplinam antiquissimam esse, nemo nescit; vel enim vetustissimo Hebræorum tempore Ostiarii isti aderant שערים qui scilicet in porticis, vestibulisque tabernaculi adsta-

adstarent, hosque ex Sacro Ordine fuisse Davidis sententia docet, in libris namque Prætermissorum legitur: *Juxta præcepta quoque Davidis novissima supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis, & supra, & erunt sub manu filiorum Aaron in cultum Domus Domini, in vestibulis, in Exedris, & in loco purificationis, & in Sanctuario, sicut & in Arca.* Et apud Ethnicos illud ipsum Janitorum ministerium, cum profanis non liceret sacris quibusdam interesse, cernimus observatum; ideo & apud Græcos ad sacrificium accessurus Sacerdos antea quærebat, *quis hic? τίς τῇδε*; respondebant autem qui Sacris intererant, *multi, & boni*, & dum ratiocinari vates volebant, afflatumque Divinum advenire sentiebant, clamabat minister, uti scribit Callimachus hymno 2. qui est in Apollinem, *exeat, exeat qui est impius*, quod & adoptavit Virgilius:

Procul o, procul esse profani,

Conclamant Vates.

Et ut Plutarchus *de Superstitione* scribit, *fit Ara detestabilis per servum, nec sunt communicanda ea, quæ Sacrorum sunt, latronibus*; quapropter in Chæronea Sacerdos lorum præ foribus ædium sacrarum Matutæ, idest Leucotheæ tenens clamabat, *servum non ingredi, non atho-*

atholam ; apud Magos Lentiginosi, qui elati revixerant, quibusque viventibus exequiæ factæ fuissent, velut profani submovebantur ab aris; apud Germanos, qui scutum in acie amisissent, sacris interesse non poterant; apud Ægyptius subulcis omnibus templa interdicta; apud Scythas iis, qui hostem nullum interfecissent in acie, libare non licebat; sed hæc, quæ antiquissima sunt, mittamus. Ostiariorum in Ecclesiis nostris officium est claves Ecclesiæ custodire, januas claudere, & aperire, fideles admittere, infideles autem & excommunicatos ingredi prohibere; sunt & publicam pœnitentiam agentes ex disciplina Ecclesiastica per totam quadragesimam per hosce ab Ecclesia pellendi. Quapropter Laodicenum Concilium *in Cap.* 43. non oportere Ostiarios vel brevi temporis intervallo ab Ostiis abesse commonet. Succedit Lectoratus, qui minor Ordo secundus est; ejus officium est lectiones pronunciare, & ea, quæ Prophetæ prædixerunt, populo palam dicere, *Cap. perlectis dist.* 25. Ordinis hujusce officiique vestigium in Hebræorum Synagoga ex lege Mosaica cernimus; mos enim erat receptus singulis per annum Sabbathis quædam ex lege Mosaica legere, aliamque ex Prophetis lectionem; Lectionem quidem ex

S lege

lege vocantes *Parsa*, ex Prophetis autem *Haphtarah*.

Sequitur Ordo Exorcistarum, Exorcistæ dicuntur ii, qui potestatem adjurandi Dæmonia, sive Energumenos ab Ecclesia accipiunt; & hoc officium exorcistarum apud Judæos invaluit, idque ex Apostolorum historia *Actuum* 19. colligitur, vestigiumque eorum & apud Ethnicos cernimus, erant enim quidam, qui Dæmonia pellerent, morbosque incantationibus factos curarent, verum hoc vel simulate vel cultu Idololatriæ contingebat. Postremus restat Acolythorum Ordo; sunt isti, qui, dum Sacra Mysteria in Ecclesia peragenda sunt, vel legendum est Evangelium, faculas, lumenque deferunt, non quidem ad effugandas tenebras, vel ad lucentem solem illustrandum, sed ut hocce corporalis luminis symbolo lumen illud æternum significent, eum, inquam, qui venit, ut testimonium perhiberet de lumine, quique lux ipsa est, & qui omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum, cujus veritatem Ecclesia Catholica didicit; sed & aliud Acolythi adjunctum munus habent; hoc eo tendit, ut Diacono ministranti in Sacra Liturgia Sacerdoti porrigat urceolos, ex quibus vinum, & aqua in Calicem Sacer-

dotis

dotis infunditur, majorque hicce gradus Lectoris ordine habetur, Lectori namque in Sacrario Sacra attingere minime licet, Acolytho licet.

De Bonis, quæ Ecclesiæ Ministris concedenda sunt, seu de Beneficiis Ecclesiasticis

DISSERTATIO III.

QUale sit Christi penes Matthæum x. 7. & seq. circa terrena, fragiliaque bona præceptum Apostolis factum, scio; *euntes autem* (ait) *prædicate dicentes, quia appropinquavit Regnum Cælorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis gratis date, nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*. Scio; quid scriptum occurrat apud eumdem Matth. xix. 21. legimus enim ita a Christo dictum: *Si vis perfectus esse, vade,*

de, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo, & veni, sequere me; qualisque sit D. Marci Apostoli phrasis, scio; etenim penes ipsum VI. 8. 9. ita: *& præcepit eis* (Christus scilicet) *ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zona æs, sed calceatos sandalis, & ne induerentur duabus tunicis.* Nimirum hæc omnia animos Apostolorum ejusmodi esse oportere commonstrant, ut quod fragile, quod caducum, quodque terrenum est, non curent, sintque unice in disseminando Christi Evangelio intenti, intenti in extirpandis vitiis, virtutibusque firmandis, intenti in promovenda Religione Christiana, intenti, uno verbo, in mortalibus ad tutissimum æternæ felicitatis portum traducendis.

Hoc tamen non impedit, quominus Ecclesiæ pastores exigere a fidelibus possint, quæ ad vitæ subsidium necessaria esse videntur; id enim æquitas exposcit, id postulant leges; id præcipit Apostolus I, ad Cor. IX. 4. sequentibus verbis: *numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi? quis militat suis stipendiis umquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? numquid secundum hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit? scriptum est enim*

in

In lege Moysi : non alligabis os bovi trituranti ; numquid de bobus cura est Deo ? an propter nos utique hoc dicit ? num propter nos hæc scripta sunt ? quoniam debet in spe , qui arat , arare , & qui triturat , in spe fructus percipiendi . Si nos vobis spiritualia seminavimus , magnum est si nos carnalia vestra metamus ?

Norunt autem omnes , huic muneri primis Ecclesiæ temporibus fideles , si simplices oblationes ministris obtulissent , satisfecisse ; bonorum ergo immobilium , beneficiorumque , ex quibus pastores Ecclesiæ fructus ad vitæ subsidium perciperent , ne mentio quidem fiebat ; tantumque imposterum memorari in Ecclesia immobilia bona , memorari Beneficia , de quibus nunc sumus disputaturi , cœperunt . Scio , materiem hanc admodum vastam , & perdifficilem esse ; scio a perpaucis apte , & uti par est , fuisse pertractatam ; ut facilis fiat , statutis certis generalibus regulis , præceptisque curabo ; & quidem in primis de origine ; deque iis , quæ ad eorum naturam , & qualitatem spectant , disputabimus , paucisque deinde præcipua , quæ ad hanc materiem pertinent , distinctis capitibus describemus , ultimoque loco , ut res numeris omnibus absoluta dicatur , quæ dici de Patronatu possunt , delineabimus .

De Origine, Natura, & Divisione Beneficiorum.

CAPUT PRIMUM.

NON decet, uti dixi, Ecclesiæ, Christique ministros mendicos esse, omnique subsidio, quod ad vitæ pertinet cultum, subsidiumque, egere; nam a Divino cultu promovendo, a promovenda spirituali fidelium utilitate removerentur; vel Christus enim ipse, ut ait S. Augustinus in *Sermone de communi Cleric. vita*, suos habebat loculos a fidelibus oblatos conservans; eosque & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus distribuens, a quo primum Ecclesiasticæ pecuniæ formam accepisse idem S. Augustinus asserit, in *Cap. habebat cap. 12. quæst. 1.* Expedit ergo Ecclesiæ ministros certa fortunæ bona, quibus suæ succurrant necessitati, tenere; inde est, ut antiquissimis Ecclesiæ temporibus permulti Fideles sua venderent prædia, pretiumque Apostolis, quo suæ sucurrerent necessitati, elargirentur, pretium, inquam, prædia namque

immo-

Digitized by Google

immobiliaque quæcumque bona tunc temporis Ecclesia (uti superius notavi) velut Collegium illicitum nequaquam poterat possidere. Constantinus Magnus, qui Ecclesiæ pacem, libertatemque donavit, primus fuit, qui eidem amplissimam immobilia bona possidendi fecit facultatem, quique eam copiosis, uberrimisque largitionibus locupletavit; primus fuit, qui cæteros hac in re suo præivit exemplo. Hæc tamen rerum, bonorumque Ecclesiæ relictorum possessio Clericorum animos divina observatione devictos olim non distringebat; communem enim agebant vitam, omniaque bona illis erant communia; & ne se negotiis fæcularibus, terrenisque rebus immiscerent, hæcce Ecclesiæ bona per œconomos administrabant, eorumque dispensatio ab Episcopo fiebat, resque universa in quadruplicem partem dividebatur, prima Episcopo, altera Clericis, tertia Ecclesiis aut ædificandis, aut reparandis, quarta pauperibus erat destinata; verum, tepescente impostérum Clericorum fervore, fere hæc omnia cessarunt; soluta enim vitæ communio fuit, divisaque singulis Ecclesiastica bona, Beneficiave fuerunt: sed hæc, quæ notissima sunt, mittamus, describamusque beneficiorum naturam. Hæc eo in primis ten-

tendit, ut perpetua sint; id suadet Apostolorum doctrina, suadet antiquissima Ecclesiæ disciplina, suadent S. Ecclesiæ Patres, genuinique qui sine fuco veritatem amant, Scriptores, suadent Pontifices, suadet denique Fundatorum voluntas; eo tendit secundo, ut unum beneficium inter plures non dividatur, hoc enim universæ Ecclesiasticæ leges indiscriminatim, absoluteque prohibent, prohibetque etiam ipsa fundatorum, erectorumque voluntas; eo denique spectat, ut plura beneficia uni Clerico non concedantur. Quemadmodum enim Aristoteles *lib. 2. politic.* in Republica bene constituta fieri sine ejus læsione non posse putat, ut unus, idemque homo plures gerat magistratus, & secundum Civilis disciplinæ regulas Romanis legibus cautum est, ne quis eodem tempore duos honores gerat *l. 17. §. 4. ff. ad municip. & de incolis*, vel duplici militia fungatur *lib. 5. cod. qui milit. poss.* aut in duobus Collegiis censeatur *l. 1. §. ult. ff. de Colleg. & Corp.* ita etiam priscis Ecclesiæ Canonibus, nemini licere duo, plurave beneficia consequi sine ulla beneficiorum distinctione statutum est; in Canone nempe 15. VII. Synodi, quæ secunda Nicæna dicitur, *Clericus* (ibi legitur) *a præsenti tempore non constituatur in duo-*

bus

bus Ecclesiis, item *in Can.* 10. Concilii Calcedonensis, & aliis Catholicæ Ecclesiæ Constitutionibus *Can. Sanctorum dist.* 10. *Can. unio caus.* 10. *quæst.* 3. *Can. per Laicos cap.* 16. *q.* 7. *can. cum singula dist.* 89. Hujus autem prohibitionis inducendæ gravissima suppetunt argumenta: primum est divini cultus imminutio; quum enim, si plura uni Clerico beneficia concedantur, exinde necessario fiat, ut nonnulli ministri Dei divitiis affluant, nonnulli vero egestate premantur, ac jaceant, & ut Divi Pauli phrasim 1. *ad Corinth.* adoptem, uni ebrii sint, alii vero esuriant, necessario consequitur, ut primi unis divitiis servientes Dei cultum promovere negligant, secundi vero, quum iis ad victum necessaria desint, promovere non possint; alterum ad ambitionem, ac avaritiam refertur; summam enim ambitionem, turpisque lucri cupiditatem esse plura beneficia affectare colligitur ex *can.* 1. *caus.* 21. *quæst.* 1. ex *Cap.* 5. *&* 18. *de prebendis*, *&* *dignitatibus*. Singula officia singulis beneficiis annexa esse, uni plura conferri beneficia non posse, evidentissimum quoque argumentum est; quid si dicamus, omne beneficium personalem residentiam, personaleque officium exposcere? an non id simplicissimum est prohibitæ plura-

lita-

litatis beneficiorum argumentum? quum enim beneficiarius personalem residentiam, personaleque officium eodem tempore in diversis, dissitisque Ecclesiis præstare minime possit, an non exinde aperte prohibitam esse beneficiorum pluralitatem colligitur? Sed & beneficiorum fundatio, ac institutio hanc pluralitatem prohibitam esse commonstrat, quum enim eo hæc institutio tendat, ut plures Ecclesiæ Ministri constituantur, certe, dum unus plura occupat beneficia, Ecclesiæ Ministrorum numerus contra Beneficiorum institutionem, intentionemque Fundatorum minuitur.

Posse tamen quempiam, ut plura obtineat beneficia, dispensari, certissimum est; sed certæ concurrant qualitates, & circumstantiæ, quæ omnia absurda ex beneficiorum pluralitate fluentia abluant, necessum; quemadmodum exempli gratia contingeret, si de uno beneficio, quod adeo tenue sit, quod ad vitam sustentandam minime sufficiat, tractetur, hoc enim in casu Concilium Tridentinum illud possidenti alterum conferri posse decrevit; ea namque absurda, quæ gravissima esse diximus, hocce in casu cessant.

Delibata origine beneficiorum, eorumque natura, sic definiri beneficium potest, ut sit

per-

perpetuum jus fructuum, quorumcumque percipiendorum ex bonis Ecclesiasticis propter spirituale officium, Ecclesiastica auctoritate constitutum. Definitio paucis quidem comprehensa, quæ tamen plura continet; in primis enim Ecclesiasticum officium esse beneficii fundamentum commonstrat, sic ut nullum beneficium sine officio esse dicatur; secundo beneficium perpetuum esse designat; nullum denique beneficium dici, nisi Ecclesiæ accedat auctoritas, egregie ostendit. Beneficiorum divisio multiplex est; alia majora, minora alia dicuntur; majora a minoribus ex collatione distinguuntur; rursus alia sunt curam animarum habentia, alia non; curam animarum habentia sunt ea, quibus onus Sacramentorum ministrandorum, eaque omnia, quæ ad spiritualem fidelium utilitatem conducunt, peragendi adhæret; curam vero animarum non habentia ea esse dicuntur, quorum præfecti horis Canonicis tantum dicendis addicti sunt; tertia beneficiorum divisio est, ut alia regularia, sæcularia alia dicantur; hæcque plerumque talia ex fundationis præscriptis censentur. Regularia regularibus, sæcularibus sæcularia debentur; interdum tamen sæcularia a regularibus, & e converso regularia a sæcularibus legiti-

ne possidentur ; quid enim si quadragenaria præscriptio producatur, si producatur titulus, idest institutio, & bona fides? alia sunt, quæ dantur in titulum, alia quæ dantur in commendam, quæ ad quoddam tempus alicui, donec electio possidentis in titulum fiat, conferuntur.

Commendarum usum rebus Ecclesiæ, ejusque utilitati conducibilem in pessimum degenerasse abusum, nemo mentis compos, quique apprime Historiam Ecclesiasticam calleat, negare potest ; sed deterius interim ratiocinari non licet ; si namque bona omnia, quibus Deus O. M. homines cumulavit, rejicienda sunt propter perversum hominum usum, nullum in orbe supererit, quod de malorum genere horribile, ac pertimescendum non fiat. Serpentem æneum, quem erexerat in deserto Moyses, ut ejus conspectu vulnera Israelitico populo serpentium morsibus inflicta sanarentur, amovere, deturbareque necesse fuit, ne idololatriæ captaretur occasio. Ejusmodi ratio fuit Commendarum ; nam quæ prima fronte sanctæ, tuendisque Ecclesiæ bonis conducibiles, necessariæque visæ fuerunt, iisdem dissipandis, inque pravos usus convertendis idoneæ lapsu temporis factæ sunt ; adeo ut eò

ada-

adacti Pontifices fuerint, ut prohiberent, ne beneficia impofterum certis perfonis in Commendam concederentur.

Sunt hæc, quæ mihi pauca de Origine, natura, & divifione beneficiorum videbantur effe dicenda, Num quid reftat, quam ut alia, quæ ad beneficiorum materiem pertinent, ex ordine dicam?

De Collatione Beneficiorum

CAPUT SECUNDUM.

SUnt certa in Jure Civili officia; quæ & committi non nifi certis poffunt perfonis, & concedi non nifi a quibufdam queunt; & in quibus concedendis certi adhibeantur modi neceffum eft; hoc plane & in Jure Pontificio contingit; funt enim & certa officia, in quibus concedendis hæc omnia ferventur, attendanturque neceffum eft: neque eft, cur hujufce rei probandæ caufa remotiffima conquiramus exempla; beneficia namque, de quibus difputamus, ad hujufmodi officia belliffime referun-

ferantur; hæc enim concedi non nisi personis quibusdam possunt, non nisi certæ personæ ea possunt conferre, certi denique modi in iis conferendis requiruntur. Eorum conferendorum modos optimos esse agnoscimus, si canonice, idest secundum legum Ecclesiasticarum præscripta conferantur, eas personas beneficiorum accipiendorum capaces esse dicimus, si ea omnia habeant requisita, quæ ex legum præscriptis sunt necessaria; hæc omnia in ordine, in legitimis moribus, in scientia, in ætate, in qualitate consistunt: in primis, inquam, in ordine; non tamen omnia beneficia eumdem ordinem exposcunt, aliquando enim vel simplex sufficit Tonsura; ergo si certum necessarium ordinem quis non habeat, obtinere beneficium non potest, uti non potest, qui præditus honestis moribus non sit, vitamque non ducat honestam, quam Clericis necessariam in *Capite de vita, & honestate Clericorum*, monstravi. Ad scientiam quod spectat, paulo major in Beneficiariis quam in ordinandis requiritur, potissimum in Parochialibus Ecclesiis: agitur enim de Parochis, qui gregem Christi pascere vitæ pabulo, & disciplinæ tenentur. Ætas, quæ in beneficiariis pernecessaria est, pro varietate, & Ordinum, &

Bene-

Beneficiorum varia est, hancque Tridentinum Concilium definivit. Qualitas denique, quam etiam in Beneficiariis dicimus necessariam ex iis, quæ de Ordine diximus, colligi bellissime potest; quum enim qui insigniri Ordinibus non potest, nec obtinere possit beneficia, necessario inde fit, ut eæ qualitates, quæ quempiam impediunt, quominus ordinari possit, impediant quoque, quominus obtinere possit beneficium.

Nunc si personas, quæ beneficia possunt conferre, contemplemur, seu quinam ea concedere possint, investigemus, ordinarium eorum collatorem, præcipue si ad antiquissima tempora, quibus sacra Ordinatio à beneficiorum collatione non distinguebatur, animum intendamus, Episcopum esse respondemus. Sed quoniam juxta antiquas Ecclesiasticæ disciplinæ regulas Episcopus in rebus Ecclesiæ gerendis sui Cleri consilium adsciscere, ne quid cæteroquin minus consulto fieret, adstringebatur, inde est, ut & jam pridem Episcopus in beneficiorum collatione sui Cleri consensum requireret; quapropter egregie Alexander III. in *Cap. 4. de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu capit.* sequentibus utitur verbis: *Apostolica auctoritate prohibemus, ne Abbates, Abbatissas, vel*

alias

alias personas Ecclesiasticas sine consensu, vel consilio Canonicorum suorum instituere, vel destituere aliqua de cætero ratione præsumas. Circa XII. Ecclesiæ sæculum prætendere cæpere Capitula, ab ipsis unis in rebus Ecclesiæ gerendis, proinde & in collatione beneficiorum Episcopum petere consilium teneri; summaque difficultas, qua Clerici in unum conveniendi ob maximum eorum numerum detinebantur, multum hisce Cathedralium Ecclesiarum Capitulorum prætentionibus detulit. Labentibus autem sæculis quibus vitæ communio toties tentata abrupta penitus fuit, quibusque proventus Episcopi a Capituli bonis separari cæperunt, etiam collatio bonorum Episcopum inter, & Capitulum, velut inter Ecclesiæ bona connumeranda divisa fuit; divisioque hæc pro varietate locorum varia facta fuit.

Eæ tamen beneficiorum collationes, quæ ad Episcopum spectant (ut ab iis, quæ ad Capitulum pertinent, abstineam) non unius generis sunt; sunt enim aliæ liberæ, aliæ vero necessariæ dicuntur. Liberæ sunt, ad quas, nemine impellente, sponteque Episcopus devenit. Necessariæ vero sunt eæ, per quas collator certis personis, velit, nolit, beneficium conferre tenetur; quid enim si quis, ex. gr. jus

Patro-

Patronatus habeat, Clericumque dignum in beneficio instituendum præsentet?

Quum maxime Ecclesiæ intersit, ne Christi fideles detrimentum in via salutis æternæ patiantur; quum ejus intersit, ne lupus rapax dominicum gregem invadat, ac devoret, apposite intra certum temporis spatium beneficia esse conferenda a Lateranensi Concilio statutum fuit, nempe intra sex menses beneficia minora, intra trimestre vero beneficia majora, dignitatesque majores esse conferendas. Hæcce beneficiorum distinctio ex *Cap. 2. de Concessione prebendæ*, & ex *Cap. 41. de electione* colligitur; hocce autem trimestre, vel semestre hoc non a die vacationis, sed a die notitiæ Innocentius III. in *Cap. 3. de supplenda neglígent. prælat. & Cap. 5. de concess. preb.* optime, justissimeque decrevit. Trimestre autem, aut sex mensibus pro ratione beneficiorum elapsis, ni justum impedimentum probetur, collatores excident jure suo, adeo quidem ut, si nihilominus beneficia conferant, collatio isthæc irrita declaretur *Cap. 3. & 5. de supplenda neglig. prælat.* & ad eorum Superiores devolvatur.

Non una tamen Prælatorum negligentia beneficiorum impedit collationem; reservatio-

nem enim jungimus ; & mandatum ; reservatio beneficiorum dicitur, quando quis sibi beneficium conferendum reservat ; fitque a Summo Pontifice, aut ejus Legato. Celebris est reservationum divisio inter eas, quæ sunt in Corpore juris clausæ ; & inter eas, quæ extra Corpus dicuntur ; extra Corpus juris reservationes generales continentur, quando scilicet Summus Pontifex suæ collationi dignitates majores in Cathedralibus, Metropolitanisque Ecclesiis reservat. In Corpore juris unica tantum generalis reservatio invenitur ; nempe beneficiorum, quæ in Curia Romana vacare dicuntur, personarum videlicet commorantium decedentiumque in Summi Pontificis comitatu ; hæc enim a summo possunt Pontifice intra mensem, & postea ab Ordinariis conferri. Sed hoc jus ad beneficia personarum curialium porrectum imposterum fuit ; eorum scilicet, qui extra Curiam mortui proponantur ; peregrinationis ; infirmitatis, vel recreationis causa intra duas legales diætas absentes, item ad Nuncios Apostolicos a Curia abeuntes, vel ad Curiam Romanam redeuntes ; iterumque porrectum ad alia fuit, quæ apud Gravinam in suis juris Pontificii institutionibus recensentur.

 Man-

Mandatum autem Apostolicum est *omne rescriptum, per quod Summus Pontifex aliquem de certo beneficio provideri jubet, & mandat*. Hocce mandatum magnæ ab initio vis, efficaciæque non fuit; Pontifices namque a principio monitorias primum litteras Ordinariis collatoribus dabant, iisque, quasi precibus Ordinarios, ut beneficia mandatariis conferrent, commonebant; deinde vero, quum litteras monitorias ab Ordinariis contemni, negligique viderent, præceptorias adinvenerunt, iisque illud ipsum absolute præcipiebant. Sed quando nihilominus litteræ istæ contemnebantur, inventæ executoriæ fuerunt; iisque id executoribus, ut Ordinarios ad conferendum compellerent, mandabatur. Per hoc itaque mandatum alicui a Romano Pontifice jus ad vacatura beneficia datur; hæc autem mandati prærogativa passim Romano Pontifici in recognitionem juris sui ac potestatis ab Interpretibus tribuitur; alioquin enim, si rem per se absolute, & in abstracto contemplemur, mandata de providendo de beneficiis, anteaquam vacent, odiosa sunt, tum propter ambitionem eorum, qui postulant, tum quia funestum, & ominosum est viventis beneficium impetrare *Cap. quamvis de prebendis in 6.* Istæ tamen re-

 ser-

servationes; mandata isthæc de providendo a Concilio Tridentino *Seſſ. 24. de ref. c. 19.* fuerunt prorsus, penitusque sublata.

Possem de beneficiorum reservationibus, deque Apostolicis ad vacatura beneficia mandatis adhuc permulta tradere, sed quoniam hoc præstitutos limites transcenderet, pauca delineasse contentus supersedendum existimo; interea si plura scire curiosus velis, adire Rigaltium de Regulis Cancellariæ potes.

De Resignatione, sive Renunciatione Beneficiorum.

CAPUT TERTIUM.

RE signare, si proprie accipiatur, nihil aliud est, quam id, quod signatum est aperire; *l. 6. quemadmodum Testamenta aperiantur, l. 2. ad legem Corneliam de falsis §. sed & si quis instit. de militari testamento*; si vero metaphorice usurpetur, resignationem cum renunciatione confundere placet, ita enim in corpore juris Pontificii usurpatur, dico in *Cap. 26. de Simonia Cap. 4. de his, quæ vi, metusve causa*

fiunt,

fiunt, *Cap. tum pridem de pactis*, *Cap.* 13. *de renunciat. ex.*

Hæc porro antiquis Ecclesiasticæ disciplinæ regulis prohibita penitus erat, nonque iis tantum, qui Sacerdotio digni videbantur, verum etiam indignis, idque ex Epistola Canonica Cyrilli Alexandrini belle colligitur; id autem, ni fallor, ex beneficiorum perpetuitate profluxit; perpetuitas namque isthæc suadebat, ut nolentes & inviti, & quasi mancipati Ecclesiæ, cui semel fuerunt addicti, in ea manere perpetuo adstringerentur; quapropter, si ad resignationem cessionemque beneficii devenissent, tamquam fugitivi ad propriam redire Ecclesiam compellebantur, *Can.* 15. *Concilii Nicæni*, & *Can.* 1. *Concil. Sardicensis*.

Ab hac tamen disciplina paulatim, annuente, conniventeque Ecclesia, idest, uti loquitur Pontifex in *Cap. quoniam de filiis presbyt. in collect. secunda* tolerante, recessum fuit; caute tamen, & raro, & non nisi rationabilibus, gravibusque de causis, ut inquit Petrus Damiani *Epist.* 9. *lib.* 1. & quasi extorquente aut necessitate aut utilitate Ecclesiæ, cujus ubique ratio habenda est, id concedendum decernitur ex *Cap.* 1. *ex.* & ex *integra decretali de renunciat.* & *Can. mutat. Caus.* 7. *quæst.* 1. qua-

pter, si renunciationem cognitionem causae, quae multiplex esse potest, desiderare definiam, non errabo. Vide *Can.* 9. *&* 10. *de renun. ex.* *&* *Can.* 14. *Apostolorum*.

Renunciatio sic definiri commode potest, ut *sit libera, & spontanea juris sui, accedente Superioris consensu, & auctoritate dimissio*, sive *cessio rite facta*: dicitur *libera, & spontanea juris sui*, renunciantis namque liberum requiritur voluntatis arbitrium. Si namque doli suspicio subsit, vel vim, metumque beneficii cessioni causam dedisse constet, admittenda non erit, aut admissa facile rescindetur; vis enim, & metus arbitrium, voluntatemque tollit; indeque est, ut, quando alicui committitur, ut alicujus beneficii resignationem accipiat, haec clausula, *attenteque provideat, ne in resignatione praedicta dolus, vel metus, aut aliqua simoniaca labes intervenerit*, apponatur. Additur *accedente Superioris consensu, & auctoritate dimissio*; egregie; renunciatio enim est actus legitimus, a jure scilicet excogitatus ritu certo, solemnique constans; fac ergo renunciationem fuisse sine Superioris auctoritate factam, nihil certe actum fuisse ducemus, veluti si fructuarius cesserit in Jure, idest usumfructum non proprietario, sed extraneo cesserit; tunc enim

ex

ex §. *finitur instit. de usuf.* nihil agitur; nihil in persona extranei; nam, ut Paulus loquitur in *lib.* 3. *Sentent. tit.* 6. *in jure cessione amittitur usufructus quoties domino proprietatis eum fructuarius in jure cesserit*. Nihil quoque in persona proprietarii, fructuarius namque cedere usumfructum præsenti tantum proprietario potest, adhibitisque solemnibus, quæ ex Cajo Juris Consulto Boetius in topicis Ciceronis exposuit. Nimirum, quemadmodum hac cessione contra ordinem juris facta non amittitur ususfructus, ita nec renunciatione minus solemni amittitur beneficium. Sed nec omnis renunciatio, licet adhibitis solemnibus, legitimeque facta proponatur, valebit; oportet enim, ut etiam libello, vel supplicatione in scriptis fiat, idque docet D. Gregorius *Epist.* 51. *lib.* 7. hicque libellus ab Episcopo, qui Episcopatui renunciare volebat, olim offerri Provinciali Synodo consueverat; idque ex Epistola Canonica Cyrilli Alexandrini ad Antiochenum Patriarcham colligitur. At vero sensim, sensimque obtinuit, ut peracta in Synodo renunciatio, ni Summi Pontificis accederet confirmatio, irrita penitus haberetur *Cap.* 1. *de renunciat. in prima collect.* progressu autem temporis, inconsultis provincialibus

Synodis renunciationes omnes, quasi inter majores caussas connumerandæ, majoribusque sub auspiciis expediendæ forent, pertinere ad unum Pontificem Summum cœperunt.

Quum nulla sit regula tam generalis, quæ omnes omnino casus complectatur, sed certa fere semper detur exceptio, & hoc quoque in præsenti beneficiorum renunciatione obtinet. Esto enim generalis regula sit; beneficium, nisi Superioris accedat auctoritas, & consensus, renunciari minime posse; esto regula sit, si nihilominus renuncietur, invalidam, nulliusque momenti renunciationem fore, ab omnibus tamen Pontificii Juris Interpretibus certa agnoscenda exceptio videtur; quid enim si beneficium litigiosum proponatur? quid si Clericus renunciandi potestatem, facultatemque Monasterium arctioris, sanctiorisque vitæ ducendæ causa ingrediendi ab Episcopo petierit, hæcque illi denegata facultas fuerit? quis utraque in specie, invito, reluctanteque Episcopo beneficio valide renunciari posse non videat? Vide *Cap.* 3. *de his, quæ fiunt a majori parte Capit. & Cap.* 18. *de reg. ex. juncto Can. duæ sunt c.* 19. *q.* 2.

Sed jam quibus ex causis concedi a Superiore beneficii renunciatio possit, videamus:

pri-

prima est Conscientia criminis, quod scilicet etiam post pœnitentiam Ordinis impedit executionem, quale est Simoniæ, homicidiique crimen *Cap. 21. de accusat. ex. Can. miror dist. 50. Cap. 7. de Simonia ex.* Hæresis quoque inter ea crimina computatur *Cap. 9. de haeret. ex.* item si quis interdictus in Ecclesiasticæ disciplinæ contemptum ad Ordinationem accesserit, eamque obtinuerit, *Cap. 32. §. si autem hos de sentent. excommunic. ex.* Item litterarum Apostolicarum falsarius, *Cap. 7. de Crimine falsi ex.* Apostata *Cap. ult. de Apostatis ex.* rursus qui Majestatis crimen admisit.

Altera causa est corporis, mentisque infirmitas; non utique senectus, nisi extrema sit; impotentemque Clericum ad munus suum obeundum adducat. Sic enim Petrus Damiani a Nicolao Pontifice enixis precibus petiit, ut suæ extremæ senectuti cessione juris Episcopatus parceret. Sic Narcissus Episcopus Hierosolymitanus quum decrepitam propter ætatem obire amplius munus suum non posset, coadjutorem assumsit, teste Niceph. *lib. 5. Cap. 10.*

Tertia causa est scientiæ, litterarumque defectus; hanc enim causam justissimam esse vel ex eo apparet, quod illiteratis, imperitisque bene-

beneficiorum collatio vetatur, ita ut, si quis literarum imperitus ordinatus, & ad Ecclesiasticam dignitatem provectus proponatur, sit tamquam indignus *ex Cap. ult. de ætate, & qualit. præfic. ex.* deponendus; ibi enim Honorius III. Episcopum Calinensem ob rudem, crassamque ignorantiam a Pontificali officio, suæque Ecclesiæ regimine amovendum esse decrevit.

Quarta est plebis tumultuantis malitia, pertinacia scilicet, contumacia, irreverentiaque erga suum Prælatum, quæ causa renunciandi suæ Sedi suoque officio fuit Meletio Magno primo Sebasteæ in Armenia Episcopo sub Constantio, uti scribit Theodoretus *lib. II. hist. Eccles.*

Quinta est grave Scandalum *Cap. 10. §. pro gravi de renuntiat. ex.* Scandali enim, offendiculique vitandi causa renunciatio permittenda videtur; nam & hac ratione etiam electio infringi, rescindique potest *Cap. 15. ex. de preb. & dignit.*

Sexta est personæ irregularitas *dicto Cap. 10. §. persona vero de renunc.* est autem irregularitas *impedimentum canonicum, ex facto vel defectu proveniens, quo qui vel in susceptis ordinibus ministrare, vel ad superiores ascendere prohibe-*

hibetur; hanc unusquisque irregularitatem incurret, qui eas omnes animi, corporisque dotes, quæ ab Apostolo in *Cap. 3. primæ ad Timotheum*, & *in Can. unum Oratorium dist. 35. juncto Can. quoniam dist. 48. desiderantur*. Septima causa est, si absque præsentis mortis periculo in Episcopatu commorari non liceat, neque ad eum liber, securusque pateat accessus, *Cap. 9. de renunciat. ex*, qua tamen in re distinguendum: neque enim pro quolibet persecutionis incursu Ecclesiam deserere justum est, *Can. temporis qualitas can. suggestum, Can. sciscitaris, Can. adversitas, & Can. ult. caus. 7. quæst.* 1. idque egregie D. Ambrosius commonstrat; hic enim cum ex Justinæ Imperatricis mandato de Ecclesia juberetur exire: *Hoc ego* (ajebat ad Benevolum Quæstorem) *sponte non faciam, ne lupis septa ovium tradere, & prodere videar; hic si placet, occide, hoc loco mortem prona suscipiam voluntate. Nicephor. lib. XII. Can. XIX.*

Sunt porro isti certi, determinatique casus, quibus Episcopatuum, Ecclesiasticarum dignitatum, beneficiorumque cessio admittenda esse videtur. Si ergo aliis de causis cessio affectetur, puta humilitatis, meliorisque vitæ ducendæ causa, aut laboris angustia, aut denique vitæ contemplativæ desiderio, sive etiam

in-

inspiratione privata, postulantibus favendum non esse Innocentius III. in *Cap.* 10. *verfic. nec pates de renunc. ex.* rescripsit. Et quidem egregie; neque enim privata utilitas, quæ in memoratis causis cernitur, publicæ Ecclesiæ utilitati anteponi quoquomodo potest. Cæterum, ubi a Summo Pontifice, aut alio Superiore renunciandi petita licentia, obtentaque proponatur, variare amplius non licet, & renuncians ad cessionem omnino compellitur *Cap. XII. de renunc. ex cap.* 1. *eodem tit. in quarta collect. Epist.* 140. *lib.* 5. *Registri Innocentii III.* tum ne Superiori illudatur, tum quia inconstancia, & levitas, quæ toleratur in Laico, in Ecclesiastico viro reprehenditur, *Cap. unico eodem tit. de renunc. in Clementinis*: quare, si Episcopus, vel Clericus qui causa cognita renunciavit; velit ad Episcopatus curam, Ecclesiæque regimen redire, ei renunciationis obstabit exceptio, præcipue si renunciatio fuerit jurisjurandi religione munita, *Cap.* 3. 5. 6. *de renunc. ex. & Cap.* 4. *de his, quæ vi, metusve causa fiunt ex.* Scio prima fronte contrarium videri *Cap.* 2. *de renunc. ex.* ibi enim, qui Canonicatum ejuravit, idest præstito jurejurando resignavit, nihilominus in Canonicum recipi posse colligitur. Facillimum tamen hujusce dif-

ficul-

ficultatis tollendæ suppetit argumentum ; videlicet *ex Cap. 1. de renunc. ex.* renunciationis enim factæ tunc demum obstat exceptio, quum de privati alicujus utilitate agitur, & commodo ; non utique si Ecclesiæ utilitas, aut necessitas illum, qui renunciavit, postulet ; quid quæso clarius ad sincerum, genuinumque hujusce Capituli sensum probe noscendum ? fingenda enim species, opinor, est de eo casu, quo Ecclesiæ aut utilitas, aut necessitas Canonicum, qui religione jurisjurandi beneficio renunciavit, postulaverit.

An renunciatio fieri per Procuratorem possit, jamdudum Pontificii Juris Interpretes quæsierunt ; utique jure civili actus legitimos fieri per procuratorem non posse certissimum est ; id liquido de adoptione constat ex *l. 25. in fine ff. de adoptionib.* constat etiam de aditione hæreditatis ex *l. 90. per Procuratorem ff. de acquir. vel amittenda hæredit.* at vero in jure Pontificio actus solemnes expediri per Procuratorem commode possunt ; plerumque enim quod jure civili non licet, licet Pontificio jure ; multas enim subtilitates, quas Jus civile agnoscit, Jus Pontificium nescit. Hoc tamen actus Canonici cum jure Civili legitimis habent commune, quod momento temporis perficiantur ;

Cap. neque

neque dilationem ex die; conditionemque capiant; *Can. quam pio c. 1. q. 2. cap. ult. de pactis ex. cap. actus de reg. jur. in 6. Cap. 4. de elect. ex.*

Omnis renunciatio fit vel pure, vel sub conditione *Cap. 7. de rerum permutat.* Pura, vel simplex tunc fit, cum quis in manibus Ordinarii beneficium dimittit, sic dicta puræ civilis obligationis exemplo, quæ præsentem habet effectum, non ad diem, vel conditionem suspensum, *§. omnis instit. de verb. oblig.* talis enim quoque est renunciatio pura; quum enim hæcce renunciatio actus legitimus sit, nec diei propterea nec conditionis recipit adjectionem, neque capere ex die, vel conditione dilactionem potest, sed statim perficitur, *Can. quam pio c. 1. q. 2. cap. ult. de pactis.* Conditionalis autem renunciationis ea vis est, ut non modo ejus effectus, sed actus ipse suspendatur, atque in hoc demum actus purus a conditionali distinguitur. Nam ille statim suum fortitur effectum; hic vero non nisi existente, & impleta conditione, quæ si deficiat, pro nullo censetur.

Datur quoque renunciatio tacita; hæcque sine aliqua renunciantis declaratione, sed sola legis auctoritate perficitur; quæ & ideo præsumpta appellatur, eodem plane modo,

quo

quo pignus tacitum præsumptum, sive Lege datum vocatur *l. 1. & ult. in quibus causis pignus tacite contrahatur*, quod nempe revera quidem contractum non est, sed juris intellectu tacita conventione initum esse creditur *d. L. ult. & l. 3. eod. tit. l. 4. & 7. ff. eodem tit.* & quemadmodum tacitum pignus proprie pignus non est, sed vice tantum pignoris existimatur *l. 1. & 2. Cod. eodem tit.* ita tacita renunciatio proprie renunciatio non est, vim tamen, effectumque renunciationis propriæ & expressæ, quæ a renunciante fit verbis ad id conceptis, habet.

Quemadmodum vero qui expresse beneficio renunciavit, variare amplius non potest, ita nec is, qui tacite cessit, redire ad beneficium potest; quin opponas *Cap. 4. de regularibus in 6.* ubi, qui Monasterium ingressus est, posse intra probationis actum ad beneficium reverti, decernitur; qui enim nondum professionis actum emisit, non absolute beneficio renunciasse, sed tunc demum, ubi eum actum emiserit, existimandus est.

De

De Pensionibus Beneficiorum

CAPUT QUARTUM.

ANtiquissimis porro temporibus pensionum Ecclesiasticarum usum incognitum penitus fuisse certissimum est; huic rei initium dedit *Cap. nisi essent 21. ex. de preb. & dignitatibus*, cujus sententia elegantissima est: cum duo Canonici de electione Prioris facta in quadam Ecclesia inter se se contenderent, velletque unus præ altero Prior agnosci, ad hanc controversiam dirimendam, finiendamque dati judices a Summo Pontifice fuerunt; sed quum res judicibus hisce admodum dubia videretur, jamque propterea causa plusquam par esset protraheretur, ad eam tandem finiendam judices delegatos Canonici velut arbitros recipiendos duxerunt; hoc enim Pontificio jure fieri posse constat ex *Cap. 7. & 12. ex. de arbitris*, & *Cap. 14. ex. de præsumpt.* hacque in re dissimile Civile jus videtur, in Judices enim ipsos compromittere ex lege Julia judiciorum non licet *l. 9. §. si quis ff. de arbitris, qui arbitrium receperunt*; ad eam, inquam, de Prioratu quæstionem tollendam delegati judices ex con-

consensu fuerunt arbitri facti ; arbitriumque istud, re maturata, acceperunt ; quid ergo imposterum ii ? ex bono, & æquo uni Prioratum, alteri certam summam ex Prioratus Capitulique reditibus præstandam esse duxerunt. Hance definitionem ubi Summus Pontifex compertam habuit, sibi eam valde suspectam fore propter exempli perniciem pronunciavit; se tamen ad eam confirmandam ob cognitas circumstantias moveri dixit, quibus certe deficientibus, non fuisset eam utique confirmaturus: hactenus Capituli hujusce sententia. Ex hoc, uti dixi, pensionum disciplina suum sumpsit initium, & quasi fons juris, quo hodie utimur, existimatur. Utinam tamen hocce rescriptum, ut ut non generalem continens definitionem, sed singularem in gratiam nempe personarum memoratas ob circumstantias prolatum, fere similibus tantummodo casibus fuisset imposterum accommodatum ; multi enim (quod deplorandum est) occasionem peccandi sumpserunt, summique Pontificis decretum temere ad consequentias cessantibus necessariis circumstantiis, extra opportunos limites porrexerunt. Sed hæc mittamus.

Tres potissimum causas, ex quibus possit

supra beneficium pensio imponi, forensis usus agnoscit; prima est; cum inter duos de aliquo beneficio quæstio movetur; resque revera dubia videtur, tum enim, ut pax, & concordia inter collitigantes concilietur; solet uni beneficium, solet alteri annua pensio ex beneficii reditibus adsignari; quo tamen casu diligenter perpendendum; dispiciendumque est, vera ne, an ficta causa sit; vi cujus pensio imponitur; alioquin enim hæcce nullius ponderis, momentique credetur; maloque more in fraudem alterius facta existimabitur, *Cap. 31. ex. de rescriptis*; altera causa est, quum quis in gratiam alterius beneficium hocce consilio resignat; ut pars aliqua fructuum, qua se tueatur; habeatque tolerabile vitæ solatium; sibi servetur. Tertia causa est quum duo beneficia invicem permutare desiderant, cujus unum longe opimius; longeque pingujus sit; tunc enim, ipsis consentientibus, minus, magisve tenue beneficium certæ annuæ præstationi, fructibus ad æqualitatem per nummariam pensionem redactis, redditur obnoxium.

Præter hasce causas sunt & aliæ, quæ jure probantur; veluti cum pensiones debilibus, infirmis, inopibus, vel de Ecclesia beneme-

bemeritis conceduntur, *Can. possess. caus. 16. quæst. 1. can. quicumque 66. caus. 12. quæst. 2. Cap. 25. de jure*; idque justissimum habet in antiquissima redituum, proventuumque bonorum Ecclesiæ disciplina fundamentum; eorum namque pars quarta pauperibus, & peregrinis juxta disciplinam Canonum; Ecclesiæque mentem eroganda fuit; quid si de Ecclesiæ debitis solvendis agatur? quid si redemptio captivorum videatur facienda; idque, quod ad id faciendum necessarium est, desideretur? optimum etiam beneficia pensionibus, quibus id fiat, onerandi suppetit argumentum.

Quum tamen pensionis constitutio, si res mature libretur, sit quædam rescissionis beneficii species; hanc autem rescissionem Sacrorum Canonum disciplina prohibeat; inde est, ut, si de pensionibus constituendis agatur, ex Concilii Turonensis, & Lateranensis sub Alexandro III. cujus hac in re fragmentum extat in *Cap. 7. de Censibus* sententia receptum sit, imponi eas non posse, nisi eorum auctoritas, qui a jure possunt dispensare, accedat. Quidquid vero sit de ea quæstione, unius ne Pontificis Summi, an etiam Episcoporum intervenire auctoritas possit, passim tradunt In-

terpretes , pensionem auctoritate Pontificis constitutam realem esse, constitutam vero auctoritate Episcopi esse personalem ; haec opinio, num sit Conciliorum, Sanctorumque Patrum decretis apprime conformis, num firmissimis haereat fundamentis, plerique non parum dubitant, est nihilominus in praxi recepta ; quapropter si de pensione a Summo Pontifice constituta tractetur, ad successores transibit, si vero de constituta ab Episcopis, pensionarii morte finietur.

Olim pensionum quantitas definita, ac collimitata non fuit, sed labentibus saeculis, quum Ecclesiae Ministri, quo vel sibi, vel suis Consanguineis faverent, tam excessivis pensionibus beneficiarios gravarent, ut vix iis, unde se alerent, remaneret, certos stabilire limites, quos quantitas pensionis non excedat, aequissimum visum fuit ; quapropter ad tertiam partem proventuum Ecclesiasticorum restringi pensionis quantitas caepit ; quid si excedat ? regula, principiumque certum, pensionem non jam nullam, sed reducibilem esse ; si tamen, detracta usque ad tertiam partem pensione, congrua beneficiario portio non remaneat, admittendam pensionem non esse puto ; id aequitas clamat, id spiri-

tus,

tus disciplinæ expoſcit. Quum ii omnes, qui disciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſi apprime ſunt, aperte, ingenueque tradant, penſionum reſervationem conſtitutionemque quid eſſe, quod delicatum ſit, quodque injicere ſcrupulum poſſit, (norunt enim ipſi, quæ ſit beneficiorum, Eccleſiaſticorumve bonorum indoles, atque natura; norunt, quid Sancti Eccleſiæ Patres, quid Summi Pontifices, quid Concilia, quid Scriptores, qui veritatem amant, de uſu beneficiorum faciendo tradiderint;) inde eſt, ut qui aut penſionem habet, aut optat, quo tuta conſcientia vivat, attendere diligentiſſime debeat, num juſta ad obtinendam penſionem ſubſit diſpenſationis ut Pontificiæ cauſa; ſæpiſſime enim vel Summus Pontifex graviſſimis negotiis diſtentus fraude petentis circumſeptus concedere abſque juſta cauſa diſpenſationem poteſt; juſtam autem cauſam in Eccleſiæ neceſſitate, juſtam cauſam in ejuſdem utilitate collocandam puto; hæc eſt Conciliorum, hæc eſt SS. Patrum, hæc eſt Fundatorum eorumdem intentio. Quibus modis penſiones extinguantur, jam ſatis a Pontificii juris Interpretibus definitum eſt. Primo enim extinguitur penſionarii morte, dummodo, uti ſupra notavi, de penſionibus

Episcoporum auctoritate constitutis agatur ; secundo per matrimonium pensionarii ; tertio per professionem Religionis ; quarto per voluntariam pensionarii cessionem ; res clara, & aperta ; quid pluribus opus?

De Jure Patronatus

CAPUT QUINTUM.

QUod celeberrimi solent Scriptores, res scilicet, de quibus agunt, a primis initiis ducere, earumque progressum investigare, hoc mihi quoque familiare est, in iis praesertim, quae difficiliores sunt, nostramque ob suam dignitatem, & excellentiam operam mereri videntur: loquor hic de jure Patronatus, cujus studium suavissimum est, utilitateque uberrimum.

Hoc itaque Jus Patronatus antiquis Patrum regulis, institutisque incognitum, consuetudine, ac saeculari lege prius inductum fuit; tandem ab Ecclesia & permissum, & concessum, id eliciente, & quasi extorquente publica Ecclesiae utilitate, quae, ut inquit Horatius, *Justi prope mater est, & aequi*, cujus con-

contemplatione datum est Patrono homini privato, & Laico, ut Clericus, quem ipse elegerit, & voluerit, ad Ecclesiam vacantem instituatur, & ordinetur ab Episcopo etiam invito, & reluctante, modo is idoneus, iisque præditus qualitatibus, quas Canonum dispositio requirit, reperiatur; *Cap. 14. ex. de jure patr.* Quamquam, quo tempore Fundatores hac præsentandi uti cœperint facultate, magna sit inter Canonum cultores controversia, fereque omnes in re definienda labantur, ii præsertim, qui abutentes *Can. 16. q. 7.* Jus patronatus a temporibus Gelasii I. qui sedit anno 492. vixitque sub Zenone, & Anastasio repetendum existimant ob id, quod ibi fundatorem jus processionis habere scribitur. Confundunt enim ii jus processionis, quod est juris Patronatus pars, cum eo processionis jure, quod nihil est aliud, quam publicus populi conventus, publica processio, & frequentatio ad Ecclesiam; ille nimirum Canon ad hoc postremum jus, non ad prius referendum existimo. Argumentum præ manibus habeo simplicissimum: nam & post Gelasium in Concilio Toletano IV. nullam fundatores in conditis Ecclesiis potestatem habuisse legimus in *Can. noverint c. 10. q. 1.* Itaque Ecclesiam hoc jus agnovisse in

Concilio Toletano IX. *Can. decernimus c.* 16. *q.* 7. certum est ; quin quispiam mihi , ibi jus Patronatus ædificatori Ecclesiæ denegari , opponat ; quamquam enim ibi nil juris ædificatoribus Ecclesiarum tribuendum scribatur ; illud tamen optimam habet interpretationem ; ita scilicet , ut præter jus Patronatus ædificatores potestatem de rebus Ecclesiæ disponendi sibi non adrogent , explicanda res est ; certum interim est , usurpatum fuisse ante Pelagii I. Gregorii I. & Justiniani tempora ; sed quando cæperit , non constat . Progressu porro temporis , & ad fundatorum hæredes cœpit jus patronatus descendere ; sic ut ipsas Ecclesias (quod erat probrosum) inter sese dividerent , res veluti hæreditarias familiæ ercifcundæ judicio , quod inter cohæredes obtinet *l.* 1. 2. 34. *fam. ercisc.* hucque pertinet *cap.* 2. *de Jurepat.* in prima collect. decernens , ut omnes hæredes concordi consensu unum eligant presbyterum , qui , uti par est , sit Ecclesiæ inserviendæ idoneus. Sed quid? tantus tandem abusus ablatus , eliminatusque fuit , prohibitæque hujusmodi inter cohæredes divisiones fuerunt *Cap.* 1. 2. *de Jure Patr.* justissime ; indecorum enim erat Ecclesiæ statum ad humanarum rerum vicissitudinem immutari .

Ju-

Juris Patronatus definitio facilis est; nihil enim est aliud, *quam jus rei spiritualis, quod cuidam in Ecclesia ejusdem Ecclesiæ ratione competit adnexum onus habens*; hoc hisce potissimum adquiri modis potest, dotatione, fundatione, idest datione, concessioneque fundi, & soli, in quo Ecclesia construatur, & constructione ipsa, sive ædificatione. Glossographus in *Cap. 3. ex. de jure patronatus*, duos tantum modos, quibus jus hocce adquiratur, recensere videtur, confunditque fundationem cum ædificatione; quæ tamen subtilius sunt distinguenda.

An ergo fundatio sola, fundi scilicet, areæque donatio sit modus, titulusque ad jus hocce adquirendum sufficiens, quæritur; id fore negandum opinor. Neque enim Ecclesiæ libertas, quæ jure patronatus minuitur, tam parvi facienda est, ut, si quis unam Ecclesiæ ædificandæ aream concedat, idcirco Patronus fiat; idque eleganter constitutum invenio in *Cap. 3. de Ecclesiis ædificandis, & restaurandis*. Dicam idem, si quis, an sola Ecclesiæ constructione jus patronatus constituatur, quærat; illud scilicet neminem, ni & dotationem adjungat, eadem ratione adquirere. Nec mihi *Cap. 25. ex. de jure pat.* objiciat. Fateor,

ibi

ibi per solam Ecclesiæ ædificationem jus patronatus adquiri constituitur, sed ejus verbi *solam* vis debilissima est argumento *l. penult. Cod. de Operis libert.* ubi libertos solam Patronis reverentiam, obsequiumque debere scribitur, non exclusis iccirco operis eis præstandis *l. 29. de operibus libertorum*, crederemque illam voculam *solam* irreptitiam, & apocrypham esse; quamquam & possim rem hac alia ratione expedire, scilicet Jus patronatus tacito jure ex ipsa ædificatione deberi, accedente scilicet dotatione; egregie: quum enim sine ea ædificari Ecclesia nulla possit, adeo ut si ædificetur Ecclesia, tacite dos sufficiens constituta credatur argumento *l. 31. §. quia assidua de adilit. edict.* ubi Ulpianus ea, quæ moris sunt, & consuetudinis pro cautis, & conventis, ut ut non exprimantur, haberi scripsit; quid ni id verum? Hæcque est Concilii Trident. in *Sess. 14. Cap. 12.* doctrina.

Si forte destructa, & demolita Ecclesia fuerit; rursusque ex eadem reædificata materia fuerit, quid? an ne jus patronatus periisse dicemus? Quæstio hæc parum eleganter, parumque concinne definierunt Interpretes; hanc tamen paucis finire possum: utique enim prima fronte illud interire, penitusque ruere sta-

stabiliendum videtur, quippe Ecclesia, ut ne ex eadem materia reædificata, sit nova, non eadem, quæ fuit antea, fore videtur, argumento *l. 5. & 10. §. penult. quibus modis ususf. amittatur*, ubi domo collapsa, vel diruta, quamvis postea restaurata, iisdemque tignis restituta, extingui usumfructum traditur; tentari tamen potest, æquitatem, utilitatemque, ut Ecclesia non nova, sed eadem intelligatur, exposcere; exposcere propterea, ut jus patronatus remaneat; distinguimus nimirum a stricto jure æquitatem, utilitatemque, rigor utique novam censeri Ecclesiam, jusque patronatus cessare; at æquitas Ecclesiam videri veterem, jusque patronatus subsistere suadere videtur, æquitatemque juris subtilitati, rigorique præferimus.

Quid somniaverint Interpretes nonnulli referre stomachum movet, de iis præsertim loquor, qui rem universam irregulari distinctione composuere, ita ut, si jus patronatus ex dotatione sola competat, jus patronatus, ob id, quod dotatio remanet, non extinguatur; si vero competat ex constructione, cesset. Equidenim magis a Jurispatronatus regulis alienum observantibus, jus patronatus, aut ex una dotatione, aut ex una Ecclesiæ constru-

structione non adquiri, potest videri? nesciunt ne ex una aut dotatione, aut Ecclesiæ ædificatione jus Patronatus non adquiri? nesciunt ne dotationem cum Ecclesiæ ædificatione jungendam, ac alterum separari ab altero non posse? An quemadmodum ex dotatione, ædificationeque Ecclesiæ juspatronatus adquiritur, adquiratur & præscriptione, usus scilicet, possessionisque diuturnitate, magna fuit olim inter Interpretes juris contentio; sopita tandem a Concilio Tridentino, *Sess.* 25. *de reform. cap.* 9. multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, hoc jus acquiri, & contra Ecclesiam ipsam, & contra Episcopum Ecclesiam volentem liberam decernente.

Hæc definita a Concilio Tridentino quæstio aliam & elegantissimam excipit, & subtilissimam. Finge; laicus justo titulo, bonaque fide a non vero patrono jus patronatus accepit, quo tempore se adversus verum patronum tueri possit; quæritur; quæstio hæc pendere ex longi temporis materie videtur. Quæ in simili longi temporis materie sit juris Civilis doctrina, scio; novi doctrinam Pauli *lib.* 5. *sentent. tit.* 2. scio quæ sit doctrina Papiniani in *l.* 45. *de usurp. & usucap.* scio quid decre-

tum,

tum, scriptumque extet in toto fere titulo *Cod. de usurp. & usucap.* id tamen jus Pontificium respuit, in eoque cautum reperio, longissimum tempus, præscriptionem scilicet 30. aut 40. annos recipere, *Can. inter memoratos*, *cap. 16. q. 3.* Quapropter, explosa quorumdam veterum Scriptorum sententia, hance quæstionem ex Juris civilis regulis Sacr. Canonum prudentiæ incognitis Juspatronatus a Laico contra verum patronum breviori tempore, quo Ecclesia ipsa præscribitur adquiri, veram esse non posse opinor. Itaque longissimum tempus, quo laicus poterit esse tutus, erit annorum 40. argumentum evidentissimum est, quum enim ea, quæ alicui rei velut adjectitia cohærent, vim plerumque suam ex ea re sortiantur, argumento *l. 2. Cod. de servit. & aqua*, id dubitas? Rite acquisito jurepatronatus plura, qui patronus est, jura nanciscitur; hæc ea sunt: 1. potest in Ecclesia instituendum præsentare: pertinet 2. ad eum dignior in Ecclesia inter Laicos locus; 3. ei, si ad inopiam vergat, alimenta debentur, *Cap. nobis de jurep.* id æquitate exposcente, tacitoque ex utraque parte consensu; quum enim Patronus, si Ecclesia corruat, & quasi inops evadat, eam sartam tectam restituere, reædificareque tenea-

aeatur, seque huic oneri sentiat obnoxium; si ad inopiam vergat Patronus, ex tacito quasi consensu, ut ei ab Ecclesia alimenta præstentur, quid ni suadebit æquitas? 4. ædificatæ Ecclesiæ bona possidere, ne cæteroquin dissipentur, potest; dic alia equidem generis, quæ recensere, memorareque non vacat.

Multiplex Juspatronatus est; est Ecclesiasticum, & laicale: Ecclesiasticum est, quod Ecclesiæ, vel Clerico non ratione patrimonii, sed dignitatis competit, *Cap. unico de jurepatr. in 6.* Laicale vero, quod ex bonis laicorum fundatum est, quoque Clericus non ratione dignitatis, sed patrimonii fruitur. Datur & Juspatronatus mixtum, partim scilicet Ecclesiasticum, partim laicale; datur insuper hæreditarium, quod ad hæredes simul cum hæreditate transit; datur familiare quod ad eos, qui sunt de familia, pertinet; datur & ex utroque mixtum. Hæcque quum facilia sint, quid fusius inde immorari?

Hoc juspatronatus adquirere omnes Catholici possunt, cujus sint sexus, vel ætatis nil refert; ergo qui sunt extra Catholicam, ortodoxamque religionem, adquirere illud non possunt; clara res est, & simplex, clara est legum Ecclesiasticarum definitio.

Pa-

Patronorum autem duo sunt genera, alii Laici, alii Ecclesiastici: Laicis Juspatronatus gratiose concessum est, quo Laici ad Ecclesiarum ædificationem invitarentur; Ecclesiastici sunt quibus hoc jus ratione Ecclesiæ quam habent competit. In pluribus hæc duo patronorum genera conveniunt, dissident in pluribus. Conveniunt ex. gr. in eo, primo, ut si plures sint Patroni, eorumque vota in Rectoris nominatione sint dissimilia, ille, qui a majore parte eligitur ex *Cap. 3. de jurepat.* præferatur, deinde ut institutus invitus mutari novi successione patroni non possit, quum nemini jus quæsitum auferri sine summa iniquitate, & injuria non possit. Conveniunt & in aliis, quæ neminem in jure Pontificio apprime versatum latent; longe tamen plura sunt ea in quibus dissidere videntur.

Dissident primo in eo, quod Laicus variare in præsentatione potest, non Ecclesiasticus, levitas namque facilius in Laico, difficilius in Ecclesiastico toleranda videtur. Est quoque discrimen in præsentationis tempore; nam Laico semestre ad præsentandum, quadrimestre Ecclesiastico tantum conceditur. *Cap. un. de jurepatr.* quamquam, ut verum fator, hocce discrimen ex Interpretum potius sententia,

quam

quam ex juris Ecclesiastici auctoritate descenderit; hacque porro distinctione Scriptores quidam utuntur, ut in concordiam adducant Cap. 3. & 27. cum capit. 22. *ex. de Jurepat.* sic ut duo priora capita de patronis Laicis accipiant, de patronis Ecclesiasticis vero alterum. In eo quoque dissimilis est conditio, quod vacantis Ecclesiæ custodiam habeat Ecclesiasticus, quando scilicet institutionem ex justa causa Episcopus prorogat *Cap. 4. ex. de off. jud. ord.* Laicus non item, nisi ex privilegio *Cap. 13. de elect. in 6.*

Alias adhuc bene multas inter utrumque Patronum differentias narrarem; sed quum eæ ab Interpretibus ullo sine juris testimonio, ulloque sine fundamento deprompta, proditæque sint, ut suum affectarent ingenium, consulto prætermittendas opinor, eas solum recipiendas ratus quæ aut Juri, rationique consonæ sunt, aut longo usu, prudentumque disputatione firmatæ.

Modi, quibus transferri Juspatronatus potest, quadruplices sunt: per successionem primo simul cum hæreditate; per donationem secundo; tertio per permutationem, dummodo pro jure patronatus res alia spiritualis tradatur; denique per venditionem non quidem

per

per se, ne simonia sit, sed simul cum universitate bonorum.

Quid si patronus Clericum violenter aggrediatur, aut lædat? quid si incidat in hæresim, juraque Ecclesiæ sibi usurpet? quid si juspatronatus separatim vendat? erunt isti Juspatronatus amittendi modi, quemadmodum modus est illud amittendi, si ei cesserit, si illud remiserit, si ædificata Ecclesia corruerit.

De Legibus Ecclesiasticis, quibus Ecclesiastica Disciplina firmetur,

DISSERTATIO IV.

QUidquid ipsi in hoc terrarum orbe, quod universam hominum turbat societatem, videmus, perspicuus est Protoparentis inobedientiæ primitivæ legi, quæ amorem Dei præcipiebat, effectus. Quemadmodum enim Sanctissima Dei amoris lex est legis alterius, quæ proximum nostrum velut fratrem dili-

gendum præcipit, fundamentum, ita ea violari certe non potuit, quin mortalis homo ad hujusce violationem, ficque ad humanam Societatem turbandam adduceretur. Perbreve argumentum rem claram, perfpicuam, certamque efficiet; nimirum ficut primæ, præcipuæque legis amoris Dei obedientia id operari neceffario debuit, ut omnes homines ad fempiternorum perduceret poffeffionem bonorum, quæ unumquemque vere felicem, beatumque faciunt, & ab unoquoque poffunt in integrum poffideri, ita ejus inobedientia id effecit, ut eorum bonorum poffeffionem mortales homines amiferint, ut amiferint felicitatem perpetuam, quæ nifi in uno Deo inveniri minime poteft, ut propterea terrena, fenfibiliaque bona, quæ caduca, quæ fragilia, quæque nec homines vere felices, beatofque faciunt, nec poffideri ab omnibus poffunt, quæfierint. Tantus autem fragilium, caducorumque bonorum amor, quid aliud in focietate humana, nifi perturbationem, charitatifque fraternæ violationem potuit generare? quid aliud potuit generare nifi mala, quibus humanum genus infeftaretur, fecum pertrahere?

Cæterum præterquamquod Deus (cujus tanta

ta Sapientia est, ut vel ex malo bonum deducat) vel ex hoc pessimo amore proprio, vel ex hoc pessimo amore fragilium, terrenarumque rerum infinita, quæ humanæ societati prodessent, bona derivavit: notatu enim dignissimi sunt ii modi, quibus ad eamdem societatem servandam utitur. Quadruplices ii sunt; primum ad occultam rationem, qua Deus ope potentiæ, sapientiæque suæ universam hominum dirigit societatem, reduco; alterum ad lumen rationis, quod scilicet adhuc in homine post Protoparentis nostri peccatum superfuit, refero; hoc enim lumen rationis illud est, quod æquitatis regulas docet, hoc illud est, quod quid justum sit, & quid injustum designat, hoc illud est, quod id, quod justum, & æquum est sequendum, quod autem iniquum, injustumque sit, fugiendum esse commonstrat; quod commonstrat, alteri non id esse faciendum, quod fiat nobis nolumus, faciendumque id, quod ut fiat nobis peroptamus; quod commonstrat, quod honestum est sequendum, quod ab honestate abhorret, fugiendum penitus esse. Tertius modus ea potestas est, quam Deus O. M. ad humanam societatem regendam Regibus, Principibus, aliisque personis, aut electione,

aut nativitate conspicuis concessit. Religio denique, cui jungo auctoritatem, potestatemque, quæ ad eam optimo in statu servandam belle conducit, ultimus modus est, quo humana Societas a perturbatione immunis potest servari; est tamen inter hunce postremum modum, & alios antecedentes discrimen; ii enim ubique cogniti, ubique communes sunt; at iste non nisi certis in nationibus, certisque in regnis receptus, cognitusque est.

Uti vides, Deus O. M. duplicem ad Societatem humani generis firmandam potestatem induxit; nimirum quum rectissimus humanæ Societatis ordo exposcat, ut & quoad internum, & quoad externum Societas ipsa dirigatur, duas inde necessarias fore potestates necessum est, sic nempe, ut una quoad externum Societatem dirigat, dirigat vero altera quoad internum; quæ eam quoad externum dirigit, temporalis potestas est, quæ vero dirigit quoad internum, spiritualis dicitur. Spiritualis, inquam, quum enim Religio ad homines per veritatis viam traducendos, eosque abducendos a rerum fragilium, terrenarumque amore, quo sic facilius ad Deum parentem indulgentissimum accedant, ad eos inflammandos, cohortandosque ad duarum pri-

mi-

mitivarum legum, amoris scilicet Dei, proximique nostri, obedientiam, ad evellendos ab iis pravos animi motus, eosque ad virtutem, justitiamque informandos, stabiliendamque Ecclesiasticam disciplinam, quæ certe omnia spiritualia sunt, referatur, eâ certe potestas, quæ ad id efficiendum, Religionemque promovendam necessaria est, sit quoque spiritualis oportet. Temporalis ergo potestas ad externa vitia, Spiritualis ad interna, ex quibus omnibus humanæ societatis nascitur perturbatio, evellenda, eradicandaque spectat.

Sed hoc ut possit perfacile obtineri, leges ad id necessariæ Civiles scilicet a potestate Civili, Ecclesiasticæ ab Ecclesiastica ferantur, proponanturque necessum est. Sunt istæ (loquor de Ecclesiasticis; de quibus disputare nostrum nunc tantum propositum est) non unius naturæ; sunt enim aliæ ex.gr. immutabiles, sunt aliæ arbitrariæ; ab harumce observatione universæ Christianæ societatis pendet felicitas: observatio tamen hæcce perdifficilis erit, si pœnis, quibus territi Christiani a maleficiis abstineant, non muniantur; ergo eas pœnis munire Ecclesiasticæ interest societatis, interest hisce legum violatores, transgressoresque punire; quandoque tamen rerum, personarum, locorumque

adjuncta exposcunt, ut istæ aut omnino remittantur, aut saltem minuantur, ac debilitentur, eo plane modo, quo & aliquando eadem adjuncta expostulant, ut a legibus omnino dispensetur; hæc omnia videamus, summisque labiis delibemus.

De natura, & spiritu Legum Ecclesiasticarum, deque præcipuis, quæ dici de hisce possunt,

CAPUT UNICUM.

LEx in jure Civili definitur *commune præceptum virorum prudentum consultum delictorum quæ sponte, vel ignoranter contrahuntur, coercitio, communis Reipublicæ sponsio*. Simili fere modo definiri in jure Ecclesiastico potest, sic ut nil aliud sit quam *commune præceptum virorum Ecclesiasticorum consultum, delictorumque quæ sponte, vel ignoranter contrahuntur, coercitio*. *Commune* dicitur *præceptum*, ut leges non pro una tantum persona constitui, sed pro pluribus ejusdem conditionis intelligas; adjunxi *virorum*

rum Ecclesiasticorum consultum non aliam ob causam, quam quod Ecclesiasticæ leges ab Ecclesiasticis personis, quæ Ecclesiastica pollent potestate, feruntur; consultum enim non est consilium, aut suasio, sed decretum; consulere namque apud veteres non modo suadere, sed etiam judicare, decernereque significat. *Delictorum quæ sponte, vel ignoranter contrahuntur, coercitio*, sunt ultima definitionis verba, quibus non tantum ea puniri delicta, quæ sponte, verum etiam quæ ignoranter (dummodo ignorantia vincibilis proponatur) contrahuntur, seu involontarie, ut tamen argui culpa possit, evincitur.

Quemadmodum autem in plures species Civiles leges dividuntur, ita & Ecclesiasticæ dividi multipliciter possunt; quæcumque tamen de harumce divisione formari possit idea, sive nimirum eæ Divinæ, vel humanæ, sive naturales, vel positivæ, sive religionis esse proponantur, eas ad duplicem tantummodo speciem reducere facillime possum; alias nempe immutabiles, arbitrarias alias dico. Immutabiles illas appello, quæ adeo justæ, naturalesque ubique sunt, ut nemo vel maxima pollens auctoritate tanti existimetur, ut eas aut tollere, aut immutare quoquomodo possit.

Tales funt duæ primitivæ leges, quarum una amorem Dei, quarum altera amorem proximi præcipit; tales funt eæ, quæ immediate ad eas primitivas leges referuntur; ergo lex unicuique quod fuum eft tribuendum effe, lex alteri faciendum; quod fiat nobis volumus, non faciendum, quod nolumus fiat nobis; quum ad legem proximi referatur, eft immutabilis penitus exiftimanda. Igitur legum immutabilium origo unde deducenda fit, dignofci facillime poteft; aut enim primarias duas leges immutabiles amoris Dei fcilicet & proximi contemplamur, aut eas, quæ ab hifce duabus legibus veluti ex uberrimo fonte defcendunt, quæque funt non nifi certa earumdem legum extenfio. Si primas, fuam immediate a Deo ipfo originem trahunt; fi vero alteras, quum a primitivis legibus proficifcantur, immediate ab hifce fua ducunt initia, mediate autem, feu, ut loqui nonnulli amant, fecundum quid a Deo. Dixi, leges immutabiles feu naturales adeo juftas effe, ut immutari minime poffint; non ita tamen rem velim accipias, ut nulla ex naturalibus, immutabilibufque legibus ita immutabilis exiftimetur ut nullam inde exceptionem admittat; plures enim immutabiles utique funt, fed difpen-

ſpenſationem , exceptionemque admittunt ; aliæ autem ita naturales, immutabileſque exiſtimantur, ut nec diſpenſationem, nec exceptionem pati quoquomodo poſſint.

Hocce immutabilium legum diſcrimen optimum habet tum in Eccleſiaſticæ Societatis ordine, tum in duabus primitivis legibus fundamentum; nimirum ſi Eccleſiaſticæ Societatis ordo, ſpirituſque primitivarum legum expoſcat, ut aliqua ex immutabilibus legibus aut reſtringatur, aut diſpenſationi, exceptionique ſubjaceat, quin ad ejus reſtrictionem, diſpenſationem, aut exceptionem deveniatur, quid prohibet? at ſi ea immutari, reſtringique minime poteſt, quin aut ſocietatis ordo, aut primitivarum legum ſpiritus violetur, nec diſpenſationem, nec exceptionem, nec reſtrictionem patietur; eæ tamen ipſæ, quæ reſtrictioni, quæ exceptioni, diſpenſationique ſubjacent, non certe immutabiles eſſe deſinent, legumve immutabilium nequaquam perdent characterem; ut ut enim diſpenſationem, exceptionemque certis in caſibus, certiſque datis adjunctis admittant, eas tamen ſua natura certas, juſtas, irrevocabiles eſſe conſtat; rem tamen uno aut altero exemplo illuſtremus: præcipit lex bonam fidem, præ-

cipit

cipit fidelitatem, praecipit sinceritatem, prohibet autem fraudem, prohibet dolum, prohibet injurias, haec certe nec exceptionem, nec dispensationem recipit; lex e contra prohibet jurare; ea tamen dispensationem, exceptionemque recipit; quid enim si de re dubia agatur, invenirique aliter veritas non possit? lex certe, ut juramentum deferatur, quo ea tandem liquescat, permittit.

Sed jam quaenam leges arbitrariae dicantur, videamus: hasce eas dico, quae neque a duabus, quas descripsimus, primitivis legibus, neque ab iis, quae ex illis veluti ex uberrimo fonte descendunt, pendent; harumce origo duplicem caussam habet; prima est necessitas quarumdam definiendarum difficultatum, quae in naturalibus quibusdam legibus applicandis versatur, tunc scilicet quando difficultates tales sunt, ut aliter iis non possit, nisi arbitrariis legibus latis, occurri; altera ex pluribus inventis, quae Ecclesiasticae, Christianaeque societati utilia futura visa sunt, petenda videtur; inventa namque isthaec, quae & vocari arbitraria possunt, arbitrariis pariter Ecclesiasticis legibus diriguntur.

Quoniam vero auctoritas, justitiaque legum est, quae vim iisdem legibus, tam naturali-

bus,

bus, quam arbitrariis tribuit, multum nosse refert, quæ nam sit justitia, & auctoritas legum naturalium, quæ nam justitia, & auctoritas legum, quæ arbitrariæ dicuntur. Hoc porro inter utriusque legum speciei justitiam interest discrimen, quod sicut naturales leges, quippequæ maxime sunt essentiales, pendentque a duabus primitivis legibus, amoris scilicet Dei, dilectionisque proximi nostri, essentialiter justæ sunt, earum justitia eadem semper est, & constans, mutarique minime potest, sed leges arbitrariæ, quum absolutum ordinis societatis fundamentum non constituant, ita ut nulla reperiatur, quæ abolitioni, mutationique non subjaceat, mutari earum justitia pro locorum, temporum, personarumque ratione potest. Universalis autem legum omnium auctoritas in ordine divino, qui homines servandis legibus subjicit, consistit. Sed quemadmodum multum inter naturalium legum justitiam, & justitiam legum quæ arbitrariæ dicuntur, interest discriminis, illud quoque interest inter earumdem auctoritatem. Nimirum naturales leges quum eadem justitia sint, naturalem super nos obtinent auctoritatem; non enim aliam ob causam nobis leges istæ donantur, quam

ut

ut justitiam, veritatemque noscamus; eamque sequamur; at legum, quæ arbitrariæ dicuntur potestas in ordine Dei præcipientis, ut sublimioribus potestatibus pareamus, consistit.

Hocce autem inter auctoritatem, justitiamque legum naturalium, earumque quæ arbitrariæ sunt, discrimen hunc habet effectum; quod Leges naturales, quippequæ essentialiter justæ sunt, naturalesque rationis objectum constituunt, nemo eas ignorare quoquomodo potest, seque hocce colore, quod satis rationis luminis ad eas probe noscendas non habeat, excusare; quando e contra si de legibus arbitrariis tractetur, ejusmodi eæ sunt, ut ignotæ hominibus esse possint; inde est ut Leges naturales nullam inde publicationem admittant; quum enim publicatio ignorantiam, inscitiamque involvat, legum autem naturalium, quarum justitiam nobis satis rationis lumen ostendit, nulla esse inscitia, aut ignorantia possit, quid hæc publicatio prodest? Leges e contra arbitrariæ non antea suum effectum, nisi in primis publicentur, sortiuntur; dubia tamen quæstione, utrum sufficiat in urbe principe promulgatio, an ubique, singulisque in provinciis facienda sit; quamquam probabilior,

llor, certiorque eorum videatur sententia; qui ubique eam esse faciendam putant; argumenta namque, quæ ad hanc sententiam confirmandam proferuntur, firmissima sunt; primum ab absurdis, alterum ex pœnu juris Civilis, tertium denique ex ipsorum Pontificum mente, ac voluntate desumitur.

Ex absurdis, inquam, in primis solam legum, quæ in urbe principe latæ sunt, scientiam ad inducendam obligationem non sufficere, possumus argumentari; aut enim hæcce scientia publica est, eamque habent omnes, aut privata, eamve habent nonnulli tantum. Si primum, ea est nihilominus obscura, & confusa, legemque alii alio modo intelligerent. Si secundum, vel multi ex iis, qui hance scientiam habent, Legem ipsam fraudarent, pœnamque ajentes, se nullam habuisse Legis notitiam, evaderent. Quidquod? Si sola legis notitia sufficeret, vel in ipsa urbe Matre promulgatio necessaria quandoque non esset, tunc scilicet, quum promulgandæ legis notitia haberetur: sed hoc absurdum; non enim, anteaquam lex promulgetur, ad ei parendum quispiam obligatur.

Ex pœnu juris civilis; quum enim imperatoria Justiniani Lege ita cautum sit, ut

nemo

nemo teneri nova debeat constitutione, donec in provinciis auctoritate publica fuerit promulgata, ut ut novæ Legis promulgatio in urbe Matre facta proponatur, ut ut etiam ejus novæ Legis cognitio ob frequentem provincialium in urbem principem commeatum spargi, atque diffundi per provincias possit, quare alio jure, quum de lege Ecclesiastica in urbe principe promulgata tractatur, utemur, præcipue quum apud omnes obtineat, Leges Imperatorum similibus in casibus, ni aliter ab Ecclesia decretum proponatur, esse servandas? Sed quid ad juris Civilis pœnum provocamus, quum hoc Pontifices ipsi decernant? profero in primis *Cap. X. de Simonia*. Quum enim Sæculo 13. sub initio Moniales quædam adeo simoniaca labe inquinarentur, ut nullam in Sororem sine pretio paupertatis tamen prætextu reciperent, quum hoc Alexander III. novisset, ne imposterum hoc amplius fieret, absolute prohibuit; quid si fieret? tam recipientem quam receptam de Monasterio expellendam, inque aliud Monasterium arctius detrudendam perpetuæ pœnitentiæ agendæ causa decrevit; voluitque, ut hæc Constitutio a Diœcesanis Episcopis in suis provinciis publicaretur, publicatioque sin-

singulis annis renovaretur. Profero *Cap.* 1. *de Concess. preb. in* 6. Quum enim in versic. *similiter* Innocentius III. constituat, si Sedes Apostolica alicui potestatem praebendam aliquam cui velit conferendi concedat, amplius Episcopo facultatem de ea disponendi non esse, quin obstet hanec concessam potestatem nondum ad Episcopi aures pervenisse; quin quidquam obstet; Legem neminem unquam adstringere, nisi posquam per publicationem ad ejus aures pervenit, ob id quia in privilegiis sufficit ut privilegiaria constitutio (si tamen qua privilegiaria est vere Constitutio dici potest) ad illorum, quibus conceditur, aures perveniat, quis inde, eam esse Innocentii mentem, ut Constitutio in singulis provinciis promulganda sit, non intelligit? cui enim bono Constitutiones privilegiarias ab aliis Constitutionibus distinguere? cui bono decernere, in privilegiariis Constitutionibus sufficere, ut eæ ad notitiam perveniant? an non enim exinde, eum tacite innuere, aliud, si de aliis Constitutionibus agatur, esse dicendum apparet? Vide *Capitulum* 6. *de Judæis*; & hoc enim in urbe Matre promulgationem non sufficere abunde commonstrat.

Sed ut in hisce arbitrariis Ecclesiasticis legibus

gibus consistam, quemadmodum Civilium legum virtus est imperare, vetare, permittere, & punire, ita id etiam legum est Ecclesiasticarum; earum enim est imperare utilia, vetareque contraria, illa praesertim, quae ut plurimum accidunt, non quae perraro fiunt; earum est quidpiam permittere; quamquam enim vereri quis possit, ne permissio proprie non sit legis opus, tamen ad Legem pertinet, quatenus demit poenam, dum aliquid, majoris mali vitandi gratia, concedit; earum est punire, puto ne lex non munita terrore adversus iniquos, petulantesque homines communem, publicamque utilitatem postponentes privatae, pateat contemptui; indeque est, ut eas leges, quae non puniunt, actumque contra leges factum non rescindunt, imperfectas merito appellare possimus.

Legibus hisce Ecclesiasticis unumquemque teneri, certissimum omnibus est; ab harumce namque observatione publicae Ecclesiasticae utilitatis felicitas, unio animorum, pax, ac tranquillitas pendet; ab hisce tamen posse quandoque fideles dispensari certa quoque res est; quando? cum justa fuberit dispensationis causa; hinc possumus ita dispensationem definire, ut sit *relaxatio communis juris facta cum*

cogni.

cognitione causa ab eo, qui jus dispensandi habet; quapropter ea dispensatio quæ sine causa fit, non dispensatio, sed dissipatio, ut S. Bernardi phrasim adoptem, dicetur: *quæritur* (ait ipse lib. 3. de consideratione) *inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, ubi necessitas urget*, *excusabilis dispensatio, ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est.... quum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio sed dissipatio dicetur*.

Omnis dispensatio, utpotequæ juri communi contraria est, strictissime est accipienda; est tamen cavendum, ne eam tam stricte accipiamus, ut penitus inutilis, & illusoria dicatur *Cap. 17. de sentent. Excommunic. in 6.* Sic ex. gr. quando Summus Pontifex dispensat ut ad ordines illegitimus possit admitti, ad minores hoc restringendum, ubi vero in minoribus est constitutus, idque sciverit Pontifex, etiam ad majores protrahendum; si namque aliter fieret, dispensatio suo penitus effectu careret *Cap. 10. de privileg. in 6.*

A legibus dispensatur vel ad certum tempus, vel in certo casu, justa urgente causa: ad certum casum quidem, ut ut enim fidelis dispensator omnia quidem ad præscriptam normam agere absolute teneatur, in certo ta-

rem casu ab eâ potest recedere ; quapropter rectissime Ecclesiæ Patres, Episcopos ita in præscriptis legibus versari oportere censuerunt, ut pro re nata quidpiam remittere in certo casu deberent ; dummodo id justæ rationes exposcerent ob id, quod non sint arbitrarii legum domini, sed eos fideles esse rei Ecclesiasticæ dispensatores oporteat ; sic olim ex. gr. nonnunquam illegitimæ ordinationes contra Ecclesiæ disciplinam, Canonum que decreta factæ boni publici causâ toleratæ fuerunt ; sic delinquentibus pax antè tempus data fuit, ve aliter rigor juris relaxatus ; exemplumque evidentissimum in Flaviani Antiocheni ordinatione, quæ contra Canones facta videbatur, occurrit ; hæcce enim Flaviani culpa, ut silentio, ac dissimulatione obliteraretur, quo tandem populus ad concordiam concitaretur, atque rediret, necesse fuit. Vide Thomassinum de veteri & nova Ecclesiæ disciplina P. II. lib. 2. Cap. 24. §. 19.

Sed & ad certum, uti dixi, tempus dispensationes conceduntur, tunc scilicet, quum legis observatio rei communi potius noceret, quam prodesset; quapropter recte Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Gennadium hæcce scribit : *Sæpe deflectendum a tenore regularum di-*

spen-

ſpenſationis cauſa, & ut evenire ſolet periclitantibus in mari, qui jacturam faciunt aliquarum mercium, ut reliqua ſerventur, quædam diſſimulanda, ubi ſummum jus locum habere non poteſt, ne omnino rerum diſpendium ſequatur. Sive autem ad certum tempus, ſive in certo caſu diſpenſetur, diſpenſari duplici modo poteſt: primus eſt, ut quid fieri contra Legem poſſit; alter eſt, ut quod contra legem actum eſt, ſubſiſtat; diſpenſationem tamen, ut quid fieri contra legem Eccleſiaſticam poſſit, utique & primis ſæculis contra quorumdam ſententiam conceſſam fuiſſe, non tamen adeo frequenter uti ſequiori ætate puto; quod ut intelligamus, duo placet ſupponere: primum eſt, primitivas Eccleſias ita pacis, & communionis vinculo fuiſſe conjunctas, ut, ſiquid ab aliquo alicujus Eccleſiæ Epiſcopo agendum foret, de eo ipſe alios Epiſcopos redderet certiores, illudve aliis Eccleſiis communicaret, ni, ſi aliud fieret, ad motus, ad diſſenſiones, ad ſchiſmata deveniretur; alterum eſt, hanc unionem Eccleſiæ, hanc rei Eccleſiaſticæ peragendæ communionem fuiſſe ſolutam, cui rei occaſionem dedere ſchiſmata quæ univerſam Eccleſiam (quod deplorandum eſt) dilacerarunt; hæc, inquam, duo placet diligen-

ter perpendere, inde enim ratio, ob quam facilius frequentiusque factum imposterum fuit, ut dispensatio, quo quidpiam posset contra legem fieri, concederetur, liquet; nam, quum illud arctissimum Ecclesiarum communionis vinculum etiam exposceret, ut si de hacce dispensatione concedenda ageretur, exposcendum esset omnium Episcoporum, Ecclesiarumque votum, quam difficile tunc consensus iste obtineretur, conjicere quisque potest; potest etiam intelligere, sequioribus sæculis, quibus hocce vinculum solutum est, perfacile fieri potuisse, ut dispensatio isthæc frequentius sibi locum haberet."

Cæterum ita semper ii qui jus dispensandi habent, agant necessum, ut quoad fieri potest in hisce dispensationibus concedendis a primitiva Ecclesiæ disciplina, quæ purissima erat, non recedant; diligenterque considerent, utrum justa subsit dispensationis causa, utrum id Ecclesiæ utilitas, necessitasque exposcat, ne cæteroquin non dispensatores, sed dissipatores Ecclesiæ, ut S. Bernardus ajebat, videantur.

Da

De modis Ecclesiasticam Disciplinam, si forte collabatur, restituendi.

DISSERTATIO V.

MUltum posse legum, quae suis muniantur poenis, constitutiones, scio; istae enim tum ad Christi fideles per beatae aeternitatis viam traducendos, tum ad servandam in Ecclesia unionem, tranquillitatem, & pacem spectant; at scio etiam persaepè contingere, ut istae nihilominus leges minus observentur; contingere, ut parvi, floccique fiant; contingere, ut sensim sensimque aut malis moribus, aut contraria consuetudine, quae saepissime corruptelae nomen meretur, enerventur; hoc ne fiat, efficere officium Ecclesiasticorum virorum est, eorum est efficere, ut leges ubique observentur, eorum est curare, ne eae malis moribus, corruptelisque enerventur, eorum est statutis poenis earumdem legum violatores punire, eorum uno verbo est nullum non lapidem movere, ut tandem corrupti Christianorum mores reformentur: ad hanc reformationem belle Concilio-

 rum,

rum, tum Diœcesanorum, tum Nationalium, tum Generalium convocatio conducit, in primis tamen ante eorumdem convocationem ad Diœceseon visitationem, quo tandem quales sint in Ecclesia reformandi mores liquescat, deveniendum est; de hisce omnibus, tum de visitatione Diœceseon, tum de Conciliorum particularium convocatione, (nam de Generalibus jam antea dixi) quæ dici possunt, videamus.

De visitatione Diœceseon

CAPUT PRIMUM.

Ut a Visitationis definitione exordiar, ea *est vitiorum, abusuumque, qui forte in Ecclesia irrepserint, exploratio, quo ii tandem tollantur*. Ad hanc visitationem devenire unusquisque Episcopus necessario tenetur; quum enim ipsis animarum fidelium cura, ac regimen Ecclesiæ concreditum sit, quum ad optimum Ecclesiæ regimen, animarumque curam Diœceseon visitatio conducat, id verissimum esse sua sponte fluit; neque est, cur contraria consuetudine, si modo consuetudo potius quam cor-

corruptela potest appellari, ab hac obligatione quispiam se liberare posse prætendat: nam & dicendum illico posse videretur, quempiam se posse contraria consuetudine (quo quid absurdius?) a regimine Ecclesiæ liberare. Hoc autem visitationis onus adeo personale Episcopis est, ut ipsis unis illud incumbat; quum enim Ecclesiæ regimen personale sit, esse quoque personale visitationis onus consequitur, dummodo tamen justo legitimo impedimento non detineantur; nam si detinentur, tunc visitationem fieri per vicarios posse res ipsa abunde demonstrat. Hanc saltem biennio fieri oportere in *Can. 14. Causa 2. qu. 1.* decernitur: egregie; nam si longius præterlabi tempus fineretur, verendum esset, ne mali mores, hominumque vitia ita firmarentur, ut possent non nisi summa difficultate impofterum tolli.

Priscis Ecclesiæ temporibus Episcopi Diœceses visitationis causa obeuntes vix quodpiam a Diœcesanis Ecclesiis exigebant; erant enim memores Apostoli Pauli exempli, qui, ne Ecclesiis gravis esset, labore proprio, propriisque sumptibus sibi ipse consulebat; erant memores præcepti Dei, a quo missus ad Samaritanos Propheta prohibitus omnino fuit,

ne ab iis quidpiam acciperet; quod satis eleganter insinuat Augustinus lib. contra Donatistas post collat. Cap. 20. *Quod ergo* (ait) *jussus est quidem Propheta nec panem manducare, nec aquam bibere in Samaria, quo missus fuerat, ut corriperet eos, qui Vaccas constituerunt adorandas more Idolorum Ægyptiorum, hoc omnino facere debuit, quod praeceperat Dominus, uti tunc eo modo illos corripere placuit, ut nihil ibi alimentorum tangeret Propheta, quem miserat; numquid enim in Ecclesia non fit quotidie, quando eos, quos acrius corripimus, etiamsi in eorum possessione sumus, nihil ibi apud eos contingimus, ut sentiant, quantum eorum peccata deleamus?* Labentibus vero saeculis, quibus tepescente zelo Ecclesiastica disciplina debilitari coepit, Clerici, Abbatesque ex Concilio Emeritensi Can. II. & Suessionensi habito sub Pipino anno DCCXIV. Episcopis visitantibus sumptum, & annonam suppeditare jussi sunt; sed quando hacce constitutione, quippequae sumptuum, annonarumque limites non praefinivit, Episcopi abutebantur, adeo ut Ecclesias, quas visitabant, infinitis, excessivisque sumptibus gravarent, ex Concilio Cabillonensi II. *Can.* 14. statutum est, ut Episcopi visitantes re & justa, & honesta contenti sint, Sed quando nihilo.

hilominus hæc constitutio parvi, floccique fiebat, aliis Constitutionibus necesse fuit; proximeque Concilium Tridentinum decrevit, ut nihil procurationis causa pro visitatione, nihil etiam qualicumque modo oblatum, nisi simplex, ac tenue debitum, & victuale acciperent *Sess.* 24. *de reform.* quin immo si eveniat, ut quæ visitantur Diœceseon Ecclesiæ, pauperes sint, gratis Episcopus eas visitet necessum est; id exposcit justitia, id clamant Concilia, id volunt Pontifices; an ne enim ob id unum, quod Ecclesiæ pauperes sint, earum spiritualis utilitas, ad quam Diœceseon visitatio conducit, spernenda?

Quæ Ecclesiarum loca, qualesque res visitationi subjiciantur, vide Arnoldum Corvinum in tractatu de personis Ecclesiasticis *lib.* 3. *tit.* 20. Ibi enim visitationem ad hæc tria extendi, ad personas primum Ecclesiasticas, & quidem omnes tam sæculares scilicet, quam regulares; secundo ad loca; denique ad res, quæ ad Ecclesiam pertinet, intelliges.

De Conciliis Particularibus

CAPUT SECUNDUM.

SI Visitationis Diœcesеon finis est considerare, quomodo Ecclesia regatur, considerare, utrum Sacri Canones observentur, utrum abusus, & vitia serpant; si finis est perpendere, utrum fideles in veritatis, justitiæque via ambulent, utrum discordiæ, contentionesque pullulent, & utrum pax, unio animorum, tranquillitas, Ecclesiæque unitas servetur; Conciliorum certe finis est abusus, & vitia tollere, eorum est fideles ad Sacrorum Canonum observantiam inducere, eorum est tranquillitati, unitatique Ecclesiæ studere. Sed hæc imposterum multo clarius, evidentiusque intelligemus; quædam enim in primis, quæ ad Conciliorum pertinent convocationem, juvat præmittere.

Ut a Diœcesanis exordiar, hæcce primis Ecclesiæ temporibus frequentissima fuisse historiæ Ecclesiasticæ fides aperte demonstrat. Quum enim tunc temporis Ecclesiæ pastores de spirituali fidelium utilitate quam maxi-

me

me essent solliciti, quum nihil, quod posset ad divinum cultum promovendum conducere, prætermitterent, quum in vitiis, malisque moribus extirpandis studiosissimi essent, quum in tractandis negotiis Ecclesiasticis, tollendisque eorum difficultatibus omnem operam, omneque studium conferrent, ubi quid horum agendum occurreret, arduumque definiendum negotium emergeret, illico ad Diœcesanorum Conciliorum convocationem, veluti efficacissimum id peragendi remedium, deveniebant; labentibus autem sæculis, quibus primitivus in Ecclesiæ rebus agendis fervor cæpit imminui, minus frequentes factæ Diœcesanorum convocationes fuerunt, adeo ut opus inde constitutione fuerit, qua, ut eæ bis in anno fierent, decerneretur. Sed quid operari hæc constitutio potuit? Parvus enim, qui de die in diem imminuebatur, fervor rem adhuc nimiam esse demonstrabat; quapropter adducta eo res est, ut ab Ecclesia horumce convocationes semel saltem in anno præciperentur; aperta enim est Constitutio Lateranensis Concilii, cujus fragmentum extat in *Cap.* 25. *de accusat.* apertum est decretum Synodi Basileensis *Sess.* 15. aperta sunt verba Synodi Coloniensis celebratæ

anno

anno 1549. Clara denique proſtat Tridentini Concilii conſtitutio in *ſeſſ.* 14. *Cap.* 2. *de reform.*

Deſcribere, qui nam hiſce Diœceſanis Conciliis debeant intereſſe, ſuperfluum penitus eſt; ſat enim rem hanc Synodus Tridentina deſcribit; eſt quoque ſuperfluum commemorare, quæ nam Eccleſiaſtica negotia in hiſce ſint peragenda, ſat enim ex ſuperius dictis liqueſcit; commemorare, in hiſce Synodis Examinatores, Judices, teſteſque Synodales conſtitui, deſcribereque, qui nam iſti dicantur, qualeque officium eorum ſit, quum res plana ſit, omnibuſque comperta, eſt quoque prorſus inutile.

Hiſce olim Synodis; nulla adſcita inter regulares, ſæculareſque Clericos diſtinctione, omnes parere tenebantur; quum enim tam Sæculares, quam Regulares Clerici ſint Gregis Epiſcoporum portio, prætendere autem ii ab univerſo Grege obedientiam poſſint, quare id verum eſſe negabimus, præcipue quum id univerſæ Eccleſiaſticæ primitivæ hiſtoriæ commonſtrent? Poſterioribus tamen ſæculis, quum Regulares ab Epiſcoporum jurisdictione exemptionem a Romanis Pontificibus cœperint prætendere, ac obtinuerint,

illi-

illico quæstiones regulares inter, & Episcopos circa obedientiam, quam Synodis provincialibus præstarent, emanarunt, temporisque progressu, quum & Canonicorum Capitula hancce exemptionem obtinuerint, & hæcce inter Canonicos, & Episcopos nata fuisse dissidia historiæ Ecclesiasticæ fides testatur. Quidquid tamen sit, si de Canonicorum, Monachorum, aliorumque Clericorum exemptione non constet, eos Synodis Diœcesanis parere teneri certum est; agitur enim de tuenda Episcoporum jurisdictione, quam quidam gravissimis argumentis ex jure divino fluere arbitrantur; agitur de eorum jure proprio & ordinario defendendo, cui quidpiam, nisi certis, justisque de caussis detrahere iniquum est. Sed est quoque certum, eos Synodorum Episcopalium legibus in iis, quæ rem non exemptam concernunt, obedire teneri; res enim, uti perdura, ita & iniqua foret, si Episcopis obedientiam non solum in re exempta, verum etiam in non exempta negarent. Addo (quod simplicissimum est) iis earumdem Synodorum legibus, quæ vitiorum, abusuum, morumque reformationem concernunt, eos obedire oportere, idque est secundum Synodi Tridentinæ decretum; ferendum ne enim

esset,

esset, ut uni Monachi in iis moribus, qui visi digni reformatione fuerunt, persistant? ferendum ne esset, ut eos teneant abusus quos Synodus sustulit Diœcesana?

Nunc ut ad ea, quæ de Provincialibus Synodis dici possunt, descendam, earum convocatio ad Archiepiscopum spectat; quemadmodum enim ad Summum Pontificem, cui totius Ecclesiæ cura demandata est, Conciliorum generalium, in quibus ea tractantur negotia, quæ universam Ecclesiam respiciunt, pertinet convocatio, quemadmodum ad Episcopum, cui Diœcesis cura commissa est, spectat convocatio Diœcesanorum Conciliorum, in quibus suæ specialis Diœcesis negotia Ecclesiastica peraguntur; quemadmodum ad Patriarcham, cui commissa est spiritualis totius Nationis cura, Nationalia pertinet convocare Concilia, ita ad Archiepiscopum, cui commissa est cura totius provinciæ, pertinet convocatio Synodorum provincialium, in quibus Ecclesiastica negotia, quæ totam provinciam respiciunt, definiuntur. Archiepiscopo tamen impedito ex Synodi Tridentinæ decreto *sess. 24. cap. 2. de reform.* provincialem Synodum senior Episcopus convocare tenetur; egregie: neque enim ob unum, quo Ar-

Archiepiſcopus detineatur; impedimentum, ea, quæ ad morum reformationem, quæ ad tollendos abuſus, quæ ad vitia extirpanda, quæque ad communem pertinent Eccleſiæ utilitatem, prætermittenda videntur.

Harumce ergo Synodorum finis eſt reformatio morum: huc pertinet provinciale Concilium Andegavenſe; quid enim circa vitam, & honeſtatem Clericorum non egit? Quid circa Clericos non reſidentes? quid circa ludos illicitos? huc Concilium Chartaginenſe III. non ne enim illud ab Epiſcopis removet ſuperbiæ typum? non ne removet avaritiæ, ambitioniſque labem, prohibens Epiſcoporum translationem, quæ ex alterutra radice oriebatur? nonne decernit, ne Clerici nec fœnus exerceant *Can.* 38, nec cum extraneis commorentur fœminis *Can.* 7, non ne tabernas Clericis, niſi neceſſitate itineris compulſis, prohibet? Finis eſt eliminatio Schiſmatum; huc ſpectat Concilium Detruſanum, quod celebratum fuit anno 1429. a Petro Cardinali Fuxenſi Legato Apoſtolicæ Sedis, convocatis Tarraconenſis provinciæ Epiſcopis, favente Alphonſo Arragonorum Rege; non ne enim extinctæ fuerunt infauſti ſchiſmatis reliquiæ per abdicationem Antipapæ Ægidii ſucceſſoris Petri

tri De Luna? huc Concilium Carthaginense primum celebratum annuente, ac Præside Grato illius Ecclesiæ Episcopo, & Affricæ Primate: an non fuit illud celebratum, ut Ecclesiastica disciplina, quæ diro Donatistarum schismate labefactata fuit, restauraretur, & firmaretur? finis est concertationes depellere; huc Concilium pertinet Taurinense ad componendas Gallicanorum quorumdam Episcoporum variis de negotiis controversias anno 397. convocatum; nonne enim composita fuit inter Arelatensem, & Viennensem Episcopum circa Primatum enata contentio eo pacto, ut aut qui suam Civitatem probasset Metropolim, is Primas esset, revocatis scilicet disciplinæ illius ævi principiis, juxta quæ civilis Metropolis ad se Metropolim Ecclesiasticam pertrahebat, aut ut bono pacis provinciam, si vellent, inter se se dividerent, & proximas sibi uterque Civitates Metropolitico jure vindicaret?

Finis est extirpatio hæreseon; huc spectat Bituricense Concilium, huc Concilium Provinciale Narbonense, huc tot alia Concilia, quæ sunt propemodum infinita; finis uno verbo est Ecclesiæ unio, Ecclesiæ utilitas, Sanctificatio fidelium, pro qua nullus non lapis a Ministris Ecclesiæ movendus.

Hæc

Hæc omnia quum satis primitivi Archiepiscopi nossent, iis scilicet primis Ecclesiæ temporibus, quibus in re divina fervor maximus erat, inde est, ut in provincialibus Conciliis convocandis diligentes assiduique forent; nimis enim eorum intererat, ne Ecclesiasticæ disciplinæ nervus laberetur; nimis intererat, ne vitia, ne abusus, ne mali mores emergerent; nimis intererat, ne fidelis, Christianusque populus ad sensibilia, ad inania, ad caduca proclivis, virtutis semitas derelinqueret.

Sed quando tepescere cæpit (quod sane dolendum) fervor, parvique fieri Ecclesiasticæ disciplinæ spiritus, raræ cæperunt esse Synodorum Provincialium convocationes, adeo ut necessum inde fuerit, ut eæ saltem in anno fierent, stabilire; quin immo imposterum fuit opus cavere, ut saltem ad triennium convocarentur. Considerarunt nimirum Conciliorum Patres, necessum utique ex una parte fuisse, ut eæ convocationes frequentius fierent, ne abusus, ne vitia, ne mali mores altissimas agerent radices; at ex altera parte, quum cernerent, quam difficile præ jam diu inveterata negligentia eas ad brevius tempus redigere foret, rem totam intra triennii limites coercendam duxerunt.

Synodis hiſcè provincialibus intereſſe totius Provinciæ debent Epiſcopi, omneſque vocandi; quid ſi quis commonitus non interveniat? ex Concilio Tarraconenſi, cujus fragmentum extat in *Can.* 14. *diſtin.* 18. uſque ad futurum Concilium Epiſcoporum charitatis communione privatur. Quid ſi de quibuſdam agatur Epiſcopis, qui nulli Epiſcopo ſubjiciantur? Synodus Tridentina in *Seſſ.* 24. *cap.* 2. *de reform.* eos aliquem vicinum Metropolitanum, in cujus provinciali Synodo interſint; obſerventque ea, quæ ibi decernuntur, eligere oportere, definit. Qui vero alii præter Epiſcopos debeant intervenire, ſatis Synodus Tridentina decernit: ſufficitque propterea notare, multum & hic variam pro varietate locorum conſuetudinem poſſe.

Quæ nam ſint in Concilio provinciali tractanda, Concilium Nicænum definit in *Can.* 5. definit Concilium Antiochenum in *Can.* 20. tractandæ nimirum ſunt Clericorum cauſæ, laicorumque, qui ab Epiſcopis ſuis ſunt excommunicati adverſus eoſdem Epiſcopos accuſationes; tractandæ ſunt controverſiæ, ac dubitationes, quæ ad Cæremonias Sacrorum, reſque Eccleſiaſticas ſpectant; tractandæ ſunt difficultates, quæ mores, quæ Eccleſiaſticam diſciplinam concernunt.

Pri-

Primis Ecclesiæ sæculis nullam inde a Pontifice provincialium Conciliorum visam fuisse necessariam confirmationem Ecclesiastica testatur historia; at posterioribus temporibus disciplina cæpit alia vigere; hujusce rei fundamentum collocant nonnulli in *Can.* 5. 6. 7. & 9. *Can.* 3. *quæst.* 6. O res vere egregia, vereque præclara apocryphis, quæ ex Isidori quisquiliis habent originem, monumentis uti! verum hujusce confirmationis fundamentum a Regularium exemptionibus repetendum existimo; quum enim ii suarum exemptionum prætextu provincialium Synodorum decretis obtemperare etiam in re non exempta renuerent, quæ alia quæso via poterat tentari; quam provincilia Concilia confirmationis petendæ causa ad Sedem Apostolicam mittere? perfacile enim Regulares, ubi eas a Summo Pontifice confirmatas viderent, iis obtemperabant.

Possem nunc de Nationalibus Conciliis disputare, sed quum permulta cum Conciliis Provincialibus habeant communia, ne rem eamdem iterum repetere videar, eo vel maxime quod res est facillima; ea silentio prætereunda duco.

De Jurisdictione Ecclesiastica in genere

DISSERTATIO ULTIMA.

COmmunis est Philosophorum omnium, eorumque, qui recte judicant, opinio, nullum stare posse Societatem, ni sit, qui eam dirigat, ni sit, qui rei totius habeat habenas, ni sit, qui leges, quas ii, qui Societatem componunt, servent, promulget, ni sit, qui legum violatores, transgressoresque stabilitis pœnis afficiat. Ecclesia porro societas est, ergo sit, qui hance dirigat, necessum est; necessum est, ut sit, qui Leges, Canonesque stabiliat, quibus unusquisque fidelis pareat; necessum est, ut transgressores, violatoresquem legum puniantur; necessum, ut abusus tollantur, moresque corrupti reformentur; necessum denique est, ut ii omnes modi, qui ad optimum Ecclesiæ regimen conducunt, tententur. Sed qui fieri quæso potest, ut hæcce omnia fiant, ni in Ecclesia jurisdictionem adesse concedamus? leges enim ferre, ac promulgare species est jurisdictionis;

nis ; species est jurisdictionis earum violatores, transgressoresque punire ; species & jurisdictionis abusus tollere, vitia extirpare, malosque mores expungere ; species est jurisdictionis eos omnes tentare modos qui ad optimum Ecclesiæ regimen conducunt : quapropter ii, qui in Ecclesia jurisdictionem adesse perfricta fronte negant, merito damnandos esse opinor. Jam quid nam sit isthæc jurisdictio ; quotuplex sit, & circa quæ versetur, diligenter consideremus.

Quid sit Jurisdictio Ecclesiastica, quotuplex, & circa quæ versetur.

CAPUT UNICUM.

Si post mortem nostram nullius alterius beatioris vitæ sperandæ nobis campus, aditusque pateret, si mors existentiæ nostræ finis esset, si cum corpore periret animus noster, quæcumque alia Societas præter Societatem civilem inutilis penitus foret ; sed altera nos patria manet, quam nosse, mereri-

que debemus. Patria hæc tota spiritualis est; patria hæc ea est, quæ summum hominis bonum constituit; patria hæc ea est, quæ nos vere felices, beatosque faciet; hancque nisi fide nosse minime possumus; unaque persuasio, Divinaque gratia unicum est vehiculum, quod nos potest versus viam quæ ad eam traducit, ferre; agnoscenda ergo præter Societatem civilem Societas alia videtur, Ecclesiasticam dico a Christo Servatore nostro stabilitam, in qua mortales homines constituti justitiam amantes, sequentes veritatem, tenentesque fidem, quæ omnia Ministri edoceant necessum est, se ad æternam vitam, Patriamque beatam assequendam parent; finis ergo Societatis Ecclesiasticæ, modi quos adhibeat necessum est, ut de eum finem perveniat, potestas, præcepta, aliaque hujusce generis longe dissimilia ab iis certissime sunt, quæ Societatem Civilem respiciunt: finis enim Societatis Ecclesiasticæ est Christianorum fidelium ad æternam beatitudinem traductio; finis Societatis civilis ad temporale commune populi bonum, quod unice ex statu tranquillitate pendet, refertur. Modi autem ad Societatis Ecclesiasticæ finem perveniendi sunt

opera,

opera, quæ meritoria appellamus, sunt preces, sunt virtutum, pietatisque exercitium, quorum agendorum ratio amorem Dei sibi habet propositum. Quid utriusque Societatis jurisdictio? Civilis porro Societatis jurisdictio super corpora extenditur, proindeque temporalis est; Jurisdictio autem Societatis Ecclesiasticæ extenditur super animas; proindeque eam spiritualem dicemus: Ad hoc postremum commonstrandum unum posset sufficere argumentum; hoc ejusmodi est: unaquæque jurisdictio fini, propter quem data est, respondeat necessum; ita ut, si finis corporeus sit, & temporalis, corporea quoque, & temporalis sit jurisdictio, si vero finis sit spiritualis, & jurisdictio sit quoque spiritualis; atqui, uti diximus, Societatis Ecclesiasticæ a Christo constitutæ finis est spiritualis, ergo & spiritualis erit hujusce Societatis potestas; hoc, inquam, unum argumentum posset sufficere, sed ut res apertior, clariorque fiat, longius exspatiemur; videamusque quomodo revera quam suæ Ecclesiæ dedit Christus auctoritatem, spiritualis sit; quomodo non nisi spirituali auctoritate & Christus ipse sit usus. Finge nimirum potestatem prædicandi Evangelium, baptizandique Nationes, quæ apud

Matthæum Cap. 28. v. 18. cernitur : *data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; hanc potestatem non nisi spirituale hominum bonum, spiritualemque utilitatem concernere evidentissimum est; finge potestatem, quam Christus Apostolis dedit ligandi, absolvendique a peccatis, uti ex Joanne XX. colligitur: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, quorum retinueritis retenta sunt*; hanc plane potestatem spiritualem esse negare stultissimum est. Finge potestatem administrandi Sacramenta, potestatem conficiendi Eucharistiam; qua fronte hæc omnia spiritualia fore negabis? Finge potestatem peccatores puniendi pœna, quæ describitur apud Joannem X. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi Ethnicus, & Publicanus*; negare hanc potestatem spiritualem esse, est penitus impossibile. Quid potestas condendi leges pro optimo Ecclesiæ regimine, pro unione, pro conservatione, pro pace Ecclesiæ? hæc certe potestas spiritualis penitus est; agitur enim de legibus, quarum propositum, quarumque finis est Societatis Ecclesiasticæ bonum, quod spirituale esse nemo nescit; quid

aliæ

aliæ jurisdictionis partes ? eæ porro, quum omnes ad memoratas belle referantur, spirituales esse dicentur.

Sed jam quid sit Jurisdictio videamus. Ita hæc definitur, ut sit *potestas, quæ a Christo supernaturaliter, & specialiter collata est suis Apostolis, & Discipulis, ac eorum successoribus legitimis usque in finem sæculi ad ædificationem Ecclesiæ militantis secundum leges Evangelicas pro consequutione felicitatis æternæ*. Dicitur *potestas*: en genus; jungitur, *a Christo supernaturaliter collata*; en caussa efficiens; quæ sequuntur verba, *suis Apostolis & Discipulis, ac eorum successoribus legitimis usque in finem sæculi ad ædificationem Ecclesiæ militantis*; subjectivam denotant causam: quid quæ sequuntur verba, *secundum Evangelicas leges?* dant ista potestati Ecclesiasticæ formam; & en finalis potestatis Ecclesiasticæ causa; additur denique, *pro consequutione felicitatis æternæ*, hic habes finem, ad quem Jurisdictio Ecclesiastica est comparata.

Potestatis Ecclesiasticæ prima & præcipua omnium distinctio hæc est, ut alia sit ordinis, alia sit jurisdictionis: quæ ordinis est, modo respicit consecrationem corporis Christi, modo ejusdem corporis ministrationem tantum, ministrationem etiam Sacramento-

rum

rum Ordinis, & Confirmationis, consecrationem insuper Virginum, Abbatum, & Ecclesiarum. Quoties respicit consecrationem, ea aequalis omnibus & Episcopis, & Sacerdotibus est; quoties alia, quae memoravi, respicit, aliud est. Potestas Jurisdictionis duplex habetur; una fori interni, externi altera est; ut in hac, quae fori externi est, consistam, eam ad certa capita, quae regulam sapiunt simplicissimam, redigo: potestatem nimirum civilem cum potestate Ecclesiastica comparo, & ubi ad quae capita potestas, seu jurisdictio civilis redigenda sit, commonstravero, ad quae capita Ecclesiastica externi fori sit reducenda, liquido fluet.

Consideranti ergo mihi ad quae nam potissimum capita civilis potestas referatur, en quid nonnulli sentiunt. Thucydides eam tribus rebus describit, legibus, judiciis, Magistratibus αὐτόνομον αὐτόδικον, αὐτοτελῆ. Dionysius Halicarnensis tria maxime notat, jus Magistratuum creandorum; jus legum condendarum, & tollendarum; jus decernendi de bello, & pace; Id habet in *lib. 4. & lib. 7.* addidit quartum, nimirum judicia; in *lib.* vero 2. rursus curationem Sacrorum, convocationemque Comitiorum adjecit.

Ari-

Aristoteles Civilis hujus jurisdictionis tres facit partes; prima architectalis ab eo appellatur ἀρχιτεκτονικὴ, altera Civilis πολιτικὴ, & consultatrix βουλευτικὴ, tertia tandem judicialis δικαστικὴ; optima sane partitio, quum nihil, quod redundet, sapiat, nihil sapiat quod desit. Re enim vera, qui civilem jurisdictionem exercet, Civitatemque regit, aut per se regit, aut per alium; si per se, aut universalia respicit, aut particularia, seu singularia; respicit universalia, si leges condat, easque justa de causa tollat, si rebus incumbat profanis, quatenus earum cura ad Civitatem pertineat, si convocet comitia, & eccè illud Aristotelis ἀρχιτεκτονικά. Singularia autem aut directe publica sunt, aut privata quidem, sed publica, quatenus ordinantur ad publicum; statim atque in ea quæ directe publica sunt, intendit, uti sunt actiones pacis, belli, fœderum faciendorum, vectigalia, & si quæ sunt similia, ecce illud Aristotelis πολιτικὴ, & βουλευτικὴ; ubi vero agit ea, quæ privata sunt, uti sunt controversiæ, dissidia, ac lites, quas publica auctoritate dirimi quietis publicæ interest, ecce illud Aristotelis δικαστικὴ. Quid si per alium regat Civitatem, potestatemque exerceat, quo per-

tinet constitutio Magistratuum ? Heic quoque habes illud Aristotelis δικαςικὴ ; ii quippe etiam hunc ob finem, ut certas controversias inter singulos enatas dirimant, eliguntur.

Ad eadem porro capita reducere Ecclesiasticam externi fori possum jurisdictionem. In primis itaque huc eam refero, ut Dei Minister leges Ecclesiæ utiles condat, easque, si commodum Ecclesiæ impediant, & præsens usus, necessitasque aliud requirat, abroget; ut habeat Concilia, quæ Sacra appellem Comitia, in quibus Ecclesiasticæ leges constituuntur, ut Christianorum corrigat excessus, suppleatque defectus. Si suo desint officio, potestatem hanc architectalem appello; en illud Aristotelis ἀρχιτεκτονικὴ. Huc deinde eam refero, ut Minister Ecclesiasticus animos ad dissentiendum paratos, ad schismata, hæresesque proclives componat, reuniatque fideles; hocque dum agit intendit in id, quod vere publicum est, ea ferme ratione, qua qui civilem jurisdictionem exercet, si se totum ad ea, quæ ad bella pertinent, referat, si se referat ad pacis fœdera facienda, aliaque generis ejusdem, agit ea, quæ vere publica sunt; & quemadmodum dum hocce iste agit, civilem, & consultatricem jurisdictionem exer-

exercere dicendus est, ita & ille consultatricem exercet, & loco civilis Ecclesiasticam: & en illud Aristotelis βυλευτικὴ, & πολιτικὴ, cujus tamen loco scribo ἐκκλησιαστικὴ. Huc tertio eam revoco, ut certas, quæ quotidie emergunt controversias, ac lites possit dirimere, uti potest, qui civilem jurisdictionem exercet: en jurisdictio, potestasve judicialis ab Aristotele δικαστικὴ; & quando quis civilem potestatem, exercet jus quandoque habet eligendi Magistratus, qui suas gerant vices, adeo ut, dum hoc agit, potestatem etiam exerceat, quæ judicialis est δικαστικὴ; ita & ille, qui potestate pollet Ecclesiastica, quandoque jus eligendi Ministros, qui certis in negotiis suas gerant vices, quid ni habebit? idque dum aget, jurisdictionem, quæ judicialis est δικαστικὴ, exercebit. Sed hæc de Ecclesiastica potestate satis.

Sciant nunc homines Christiani, huic Ecclesiasticæ jurisdictioni resistere nefas esse, huicque parere se absolute teneri, quemadmodum parere tenentur laicæ; sunt enim utique membra Reipublicæ civilis, sed sunt etiam membra Reipublicæ Ecclesiasticæ; ideoque tanquam membra Reipublicæ civilis civili parent potestati necessum est, tanquam mem-

membra Reipublicæ Ecclesiasticæ, Ecclesiasticæ pareant auctoritati oportet: Ecclesiastici autem viri, sicuti rem optimam agent, si hanc potestatem uti par est exerceant, rem agerent iniquissimam, si ea abuterentur: Quemadmodum enim apud Deum gravissimi conscii criminis essent homines Christiani, si jurisdictioni Ecclesiasticæ, quæ recte exerceatur; resisterent, dignique ea essent sententia: *si Ecclesiam non audierit sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus*, ita & gravissimi etiam forent delicti conscii viri Ecclesiastici; si ea abuterentur, minimeque eam; uti oportet, exercerent.

F I N I S.

VAI 1532126

Digitized by Google



Digitized by Google

180.B.56



